This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


1837
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

DG
109
.S6
J93

QUOMODO PER SERVOS LIBERTOSQUE NEGOTIARENTUR ROMANI IMPERII TEMPORIBUS

THESIM

FACULTATI LITTERARUM IN UNIVERSITATE PARISIENSI

PROPONEBAT

LUDOVICUS JUGLAR

In jure doctor.

PARISIIS

APUD HACHETTE ET SOCIOS BIBLIOPOLAS

VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

MDCCCCII

QUOMODO PER SERVOS

LIBERTOSQUE

NEGOTIARENTUR ROMANI

IMPERII TEMPORIBUS

EXPLICATIO SIGNORUM

D., L, 17, 106 = *Digestorum liber* L, *titulus* 17, *fragmentum* 106.
C., V, 27, 1 = *Justiniani Codicis liber* V, *titulus* 27, *lex* 1 [1].
Inst., IV, 7 = *Justiniani Institutionum liber* IV, *titulus* 7.
Gaius, II, 154 = *Gaii Institutionum commentarius* II, § 154.
pr. = principium.
C. I. L. = Corpus Inscriptionum Latinarum.

1. Numeri ad editionem Digestorum Mommsen et Codicis Krueger referuntur, cum autem hæ editiones cum aliis veteribus editionibus discrepant, veterum illarum editionum numeri, in parenthesi inclusi, sequuntur.

PROŒMIUM

Quantopere negotiarentur Romani, quid de negotiationibus sentirent?

Nostra ætas quæ præsentia futuraque etiam tempora tantopere curat, præteriti temporis non minus curiosa est; atque ad ea studia non eo tantum quod sibi simile esse novit, sed eo quod differt sæpissime attrahitur.

Œconomicæ in primis quæ dicuntur quæstiones hodie agitantur et de eis quales quidem apud Romanos fuerint non pauci jam in hoc sæculo disseruerunt. Sed inopia quadam chartarum inscriptionumque[1] et ipso scrip-

1. In inscriptionibus quidem « negotiatores, negotiantes, mercatores, navicularii » inveniuntur, genusque negotiationis « frumentarius, olearius, vinarius, coriarius, vascularius, eborarius » legitur (*C. I. L.*, VI, 814, 1065, 1101, 1620, 1740, 1935, 9667, 9677, 9682, 29722), sed de negotiationis magnitudine et ratione nihil refertur; numerus ipse negotiantium non inde quærendus est cum neque omnes inscriptiones ad nos venerint, neque omnes negotiantes inscriptiones fecerint. Sæpe ad eamdem negotiationem plures conveniebant collegiumque efficiebant. (Cf. Waltzing, *Etude historique sur les corporations professionnelles chez les Romains.*)

torum silentio factum est ut minus perfectam tantummodo rerum imaginem præbere coacti sint.

Cum ea esset inopia, cum loci etiam scriptorum legerentur in quibus negotiationes parvi æstimantur, aliqui existimaverunt negotiationes Romano ingenio contrarias esse.

Montesquieu non aliter sensit, cujus hæc sunt verba : « *Leur génie, leur gloire, leur éducation militaire, la forme de leur gouvernement les éloignaient du commerce.... L'esprit des Romains était de ne pas commercer*[1]. »

Quæ opinio non omnino forsitan accipienda est. Non nobis in animo est hic referre omnia loca in quibus de negotiis negotiationibusque a Romanis factis agitur sive in scriptis sive in inscriptionibus, attamen quædam sunt colligenda.

Apud Ciceronem in multis locis de negotiationibus nec non et de negotiantibus agitur. In oratione *pro Lege Manilia*, cum de belli adversus Mithridatem genere et gravitate loquitur, de negotiis pecuniisque præsertim sermo est, nec tantum de iis, qualia erant vectigalia, quæ in manibus publicanorum sunt, sed etiam de iis quæ in privatorum manibus sunt, ut ex sequentibus locis patet : « (Genus belli) ad multorum bona civium Romanorum pertinet.... Nam et publicani, homines et honestissimi et ornatissimi, suas rationes et copias in illam provinciam contulerunt; quorum ipsorum per se res et fortunæ curæ esse debent... Deinde ceteris ex

1. *Esprit des lois*, XXI, 14, 15. Cf. etiam *Grandeur et décadence des Romains*, 10.

ordinibus homines gnavi et industrii partim ipsi in Asia negotiantur, quibus vos absentibus consulere debetis; partim suas et suorum in ea provincia pecunias magnas collocatas habent[1]. » Animadvertendum est illos negotiatores ex omnibus ordinibus ortos, eosdemque negotiationibus duplici ratione implicitos esse, cum alteri in Asiam proficiscerentur ad negotiandum, alteri Romæ remanerent, suas autem in Asiam pecunias mitterent et in publicis aut privatis negotiis collocarent. Quarum pecuniarum is erat numerus ut, eis amissis, usque in Romanum forum pertubatio redundaret; et in Ciceronis oratione vivida legitur descriptio magnarum illarum perturbationum quas nostrorum temporum proprias esse existimes, quæ ex fortunarum, negotiationum incremento oriri credas, aut ipsa facilitate qua homines etiam e longinquis regionibus inter se communicant, quæ significanti nomine nostra ætate *crises* vocantur : « Nam tum (initio belli Mithridatici) cum in Asia res magnas permulti amiserant, scimus, Romæ, solutione impedita, fidem concidisse. Non enim possunt una in civitate multi rem atque fortunas amittere, ut non plures secum in eamdem calamitatem trahant... Hæc fides, atque hæc ratio pecuniarum, quæ Romæ, quæ in foro versatur, implicita est cum illis pecuniis asiaticis et cohæret; ruere illa non possunt, ut hæc non eodem labefactata motu concidant[2]. »

1. *Pro Lege Manilia*, 7.
2. *Ibid.* « Octoginta millia civium Romanorum, in Asia per urbes negotiandi gratia dispersa », scribit Valerius Maximus. (IX, 2, extern. 3.) Apud Plutarchum (*Sylla*, XXIV) : « Centum quinquaginta

Quæ negotiorum negotiationumque magnitudo Asiæ non erat propria. In Gallia eamdem fuisse didicimus. In oratione *pro Fonteio*, Cicero hæc mirabilia scripsit verba quæ ea ratione qua tractabantur negotia cum nostro tempore convenire videantur : « Referta Gallia negotiatorum est, plena civium Romanorum : nemo Gallorum sine cive Romano quidquam negotii gerit ; nummus in Gallia nullus sine civium Romanorum tabulis commovetur[1]. »

In Galliis Ramanos magnopere negotiatos esse etiam ex eo Cæsaris loco patet : « Carnutes... Genabum[2], dato signo, concurrunt, civesque Romanos, qui negotiandi causa ibi constiterant, in iis C. Fusium Cottam, honestum equitem Romanum, qui rei frumentariæ, jussu Cæsaris, præerat, interficiunt, bonaque eorum diripiunt[3]. » Postea non aliter rebellio apud Treviros atque in aliis Galliarum civitatibus facta est : Florus milites incitavit « ut, cæsis negotiatoribus Romanis, bellum inciperet » ; cujus rebellionis sectatores « vulgus obæratorum » fuisse, ait Tacitus, ejusdem causam « magnitudinem æris alieni, gravitatem fœnoris[4] ».

Quod in Asia, quod in Galliis, idem in Africa fiebat.

Romanorum millia. » Quo numero, ut putamus, includuntur « uxores et liberi, ceterique ingenui domestici », quos Mithridates interfici jusserat, « liberti etiam servique, quotquot Italici erant sanguinis » qui simul interfecti sunt, ut docet Appianus. (*Mithr.*, XXII et XXIII.)

1. *Pro Fonteio*, 5.

2. *Orléans*.

3. *De Bello Gallico*, VII, 3. Cabilloni (*Chalon-sur-Saône*) negotiantes inveniuntur. (*Id.*, VII, 42.)

4. *Annales*, III, 40 et 42.

Cum Sallustius in bello Jugurthino Cirtæ [1] obsidionem narrat, futurum fuisse ut oppidum caperetur refert, « ni multitudo togatorum fuisset », mox scribit : « Italici quorum virtute mœnia defensabantur... », dein addit, deditione facta : « Jugurtha... omnes puberes Numidas atque negotiatores promiscue, uti quisque armatus obvius fuerat, interficit [2] ». Ex quo intelligendum est quos « togatos, Italicos » vocat, eosdem negotiatores esse et ex magno quod ad bellum afferunt momento eorum numerum præsumere possumus.

In longinquiores etiam regiones negotiatores non minus confluebant : In Marcomanorum castello « nostris, ait Tacitus, e provinciis lixæ ac negotiatores reperti; quos jus commercii, dein cupido augendi pecuniam, postremum oblivio patriæ, suis quemque ab sedibus hostilem in agrum transtulit » [3].

In Britannia « quam avaritia procuratoris in bellum egerat », Tacitus hanc urbem nostris temporibus negotiationibus notissimam, Londinium, ita pingit : « Cognomento quidem coloniæ non insigne, sed copia negotiatorum et commeatuum maxime celebre », additque in hoc bello « ad septuaginta millia civium et sociorum cecidisse », quo numero non continentur milites, nam, ut animadvertit, « barbari omittebant castella præsidiaque militarium [4] ». Ipsius Hiberniæ « aditus por-

1. *Constantine.*
2. *De Bello Jugurthino*, 21 et 26. — Cf. etiam Vell. Paterc., XI, 2.
3. *Annales*, II, 62. — In Pannonia (Vell. Paterc., CX, 6).
4. *Annales*, XIV, 33.

tusque per commercia et negotiatores cognitos esse », refert Tacitus [1].

Iis similibusque locis apparet Romanos negotiatores ubique et præcedere et sequi legiones. Apud Cæsarem legimus, cum exercitum ire jubet adversus populos qui « ad summas Alpes pertinent : Causa mittendi fuit, quod iter per Alpes, quo magno cum periculo, magnisque cum portoriis mercatores ire consueverant, patefieri volebat » [2]. Prioribus etiam temporibus eadem fuit negotiandi cupido : « Majores vestri, ait Cicero, sæpe, mercatoribus ac navicullariis injuriosius tractatis, bella gesserunt [3]. » Quis, Carthaginienses cum sciret magnopere negotiari, Punica bella non negotiationum etiam causa facta esse contenderet ? [4]

Ipsa denique Romana historia quæ in certamine creditorum ac debitorum tota continetur nobis argumento

1. *Agricola*, 24.
2. *De Bello Gallico*, III, 1.
3. *Pro Lege Manilia*, 5. Cf. etiam *in Ver.*, act. 2, V, 58.
4. Cf. App., *Pun.*, 5. — Ineunte republica fœdus inter Romanos et Carthaginienses ictum fuerat in quo de mercatoribus agebatur. (Polyb., *Hist.*, III, 22 et seq.) — Ineunte etiam republica ædes Mercurio dicata erat, mercatorumque collegium institutum. (T. Liv., II, 27.) — In Horatii carminibus haud semel mercatorum qui trans mare currunt labores cum vita sapientis parvo contenti comparantur : « Dives.... Mercator... ter et quater Anno revisens æquor Atlanticum Impune. » (*Carm.*, I, 32, 10.) « Neque fervidis Pars inclusa caloribus Mundi, nec Boreæ finitimum latus, Duratæque solo nives Mercatorem abigunt. » (*Carm.*, III, 24, 36. Cf. etiam I, 1, 12.) « Impiger extremos curris mercator ad Indos. » (*Epist.*, I, 1, 45.) Merito igitur scribebat Seneca : « Nunc tota exteri maris ora mercatorum navibus stringitur. » (*Natur. Quæst.*, IV, 2, 24.) — Apud Suetonium denique legimus Augustum voluisse frumentationes, non minores quidem, sed minus frequentes esse « ne plebs frumentationum causa frequentius a negotiis avocaretur ». (*Oct.*, 40.)

est. Nonne creditæ pecuniæ ad negotiandum plerumque creduntur, testanturque in iis a quibus creduntur saltem illius negotii generis quod usura dicitur consuetudinem ingeniumque [1]?

Tot tantisque testimoniis, quibus multa alia [2] addi possint, qui Romanos negotiationes contempsisse contendunt, quædam loca opponunt, quæ, si sane interpretamur, ad id quod proponunt probandum minus apta videntur.

In primis invocant locum quo T. Livius eam refert legem : « Ne quis senator, cuive senatorius pater fuisset, maritimam navem, quæ plus quam trecentarum amphorarum esset, haberet. Id satis habitum ad fructus ex agris vectandos; quæstus omnis patribus indecorus visus [3]. » Oportetne ex eo quod primo civitatis ordini aliquid indecorum videtur, id cuique civi indecorum esse concludere? Sed etiam locum amputant, cum non addunt hanc legem a Q. Claudio tribuno plebis « adversus

1. « Ut negotiari possis, æs alienum facias oportet. » (Sen., *Epist.* 119, 1.) Apud Ciceronem (*ad Att.*, V, 21, § 13) lege quanta perturbatio vel ex minima mutatione in iis quæ de mutuis pecuniis convenerant oriretur. Ipsum *negotiatoris* nomen, reipublicæ temporibus, negotium eorum qui fœnerando quæstum quærebant in primis significabat. (Cf. Ernesti disputationem relatam ad verbum *negotiator* in indicibus Ciceronianarum editionum J. V. Le Clerc et Lemaire.) Sed jam eo nomine negotiationes quæ ad rem frumentariam vel ad commeatus pertinebant, et non sine magnis pecuniis suscipi poterant, continebantur. Imperii autem temporibus, de quibus unice tractabimus, *negotiatoris* nomen ad omne negotii vel mercaturæ genus pertinet.

2. Cf. in primis omnes locos in quibus Plinius major vel Strabo retulerunt quid ex toto orbe in Urbem importaretur, vel quo itinere ire solerent mercatores.

3. XXI, 63.

senatum, uno patrum adjuvante C. Flaminio » latam esse. T. Livius etiam adjicit : « Res, per summam contentionem acta, invidiam apud nobilitatem suasori legis Flaminio, favorem apud plebem alterumque inde consulatum, peperit. » Inde clare apparet patribus rem cordi maxime fuisse, politicisque studiis et contentionibus actam esse, cum plebs patrum negotiationibus invideret eosque æmulos habere nollet. Quo non facile melius reperietur argumentum et patres et plebem in negotiationibus versatos esse.[1]

Qui autem Justiniani Codicis quamdam invocant legem[2], in qua « tabernaria » et « quæ mercimoniis publice præfuit » cum turpis conditionis feminis promiscue nominatur, non ad ipsum legis propositum attendunt. Qua lege ita cavetur : « *Senatores seu perfectissimos, vel quos in civitatibus Duumvirilitas vel Sacerdotii, id est, Phœniciarchiæ vel Syriarchiæ ornamenta condecorant : placet maculam subire infamiæ, et alienos a Romanis legibus fieri, si ex ancilla...* (sequitur enumeratio feminarum turpis conditionis in qua tabernaria continetur) *susceptos filios in numero legitimorum habere voluerint.* » Quis non intelligit hanc legem ad magistratuum dignitatem, ad morum gravitatem latam esse, qua providetur ne qui primorum civitatis ordinum sunt commercia jungant cum mulieribus infimæ conditionis? Nonne, nostris etiam temporibus, in exercitu vetantur non tan-

1. Addendum est hanc legem non diu viguisse. Huic enim legi similibusque Cicero alludit cum scribit : « Antiquæ sunt istæ leges et mortuæ. » (*In Verr.*, act. 2, V, 18.)
2. C., V, 27, 1.

tummodo ductores ordinum, sed ii qui sub ductoribus præpositi sunt, illam quæ tabernaria est vel mercimoniis publice præest uxorem habere? Num quis ideo mercaturam negotiationesque turpes a nobis putari contendat?

Denique locum ex Ciceronis *De Officiis*[1] excerptum afferunt argumentum. Non mirum est illum librum Marco filio dicatum, cum ad informationem publici viri pertineat, mercaturas negotiationesque cum publicis muneribus comparatas parvi facere. Num vellent Ciceronis filium negotiatorem fuisse, eumque patrem, suæ tam conscium gloriæ, ad negotiationes Marcum suum impulisse? Quis etiam hodie aliter ac Cicero ageret? Adde quod totus liber Græcam philosophiam spirat, neque in uno illo loco quærendum quidquid de negotiationibus senserint Romani. Locus enim his incipit verbis : « Jam de artificiis et quæstibus, qui liberales habendi, qui sordidi sint, hæc fere accepimus. » Sequuntur nomina illorum qui exactiones facere videntur quorum merito improbantur quæstus. Ne immerito quidem vituperantur hæ artes « quæ ministræ sunt voluptatum », quamvis coquorum aut piscatorum artes nobis non improbandæ videantur, sed Ciceronis temporibus ea erat domus administratio ut tantummodo qui voluptati indulgere volebant eorum uterentur artibus. Quod autem Cicero explicat postea de mercenariis, opificibusque a nobis probari non potest, sed animadvertendum est id totum ad laboris non negotiationis con-

1. I, 42.

temptum pertinere, quod monstrat liberum laborem ipsa servilis laboris vicinitate aliquo modo inquinatum esse, nec proprie ad nostrum propositum attinet. Hæc autem ad nos omnino pertinent : « Sordidi etiam putandi qui mercantur a mercatoribus, quod statim vendant. Nihil enim proficiunt nisi admodum mentiantur. Nec vero quidquam est turpius vanitate... Mercatura autem, si tenuis est, sordida putanda est : sin magna et copiosa, multaque undique apportans, multisque sine vanitate impartiens, non est admodum vituperanda. Atque etiam, si satiata quæstu, vel contenta potius, ut sæpe ex alto in portum, ex ipso portu se in agros possessionesque contulerit, videtur jure optimo posse laudari. » Sequitur agri culturæ laudatio.

Ex his apparet agri culturam negotiationibus anteponi, sed negotiationes, magnas scilicet, non ideo improbari, imo contra ut viam ad ipsam agri culturam ducentem haberi. Cur igitur mercatura, si tenuis est, a Cicerone sordida putatur? Quod ex verbo « mentiantur » hic jam indicat, in tertio *De Officiis* libro amplius explicat Cicero, exemplisque illustrat. Si mercaturam quadam infamia notat, vanitatem (id est mendacium) timet. Quod autem mercatura sine vanitate fieri non potuerit, id partim, illius temporis moribus tribuendum, partim ex vitio quodam in concipiendis œconomicis rebus oritur.

Cum sine discrimine improbat Cicero eos « qui mercantur a mercatoribus quod statim vendant », non animadvertit rebus vendendis sæpius aliquid adjici quod ab eis qui œconomicis rebus student *utilitas* appel-

latur, cum ita aut propius aut facilius ille cui opus est eas obtineat. Ea est mercatura illius qui rerum venalium copiam una mercatur quas singulas vendat.

Dum exemplum affert illius mercatoris qui Rhodum magnum frumenti numerum advexerit in Rhodiorum inopia et fame[1] non satis curat Cicero, illus celeritatem ad id profuisse ne diutus fame, aut saltem, si non fame, crudeliore ne fame conficerentur formidine, laborarent Rhodii : quare eam celeritatem majori pretio causam esse non inhonestum videtur. Duorum philosophorum de eo exemplo disceptationem refert Cicero, patetque ex ultimis alterius verbis, si in œconomicis rebus non satis acute præstitæ utilitatis quæratur ratio, facile ad id quod *socialisme* dicimus devehi animos; quæ ita sunt : « Esse inter homines natura conjunctam societatem... Num ista societas talis est ut nihil suum cujusque sit? Quod si ita est, ne vendendum quidem quidquam est, sed donandum. » Hæc sunt Græcorum philosophorum verba, privatas evertentia opes, quæ non Ciceroni adscribenda sunt, si ipsum audias : « Singulorum facultates et copiæ, divitiæ sunt civitatis[2]. »

Mendacii igitur timore motus mercaturam non æquo animo judicat Cicero ut ex his locis apparet : « Celare

1. Exemplum hoc est : « Si vir bonus Alexandria Rhodum magnum frumenti numerum advexerit in Rhodiorum inopia et fame, summaque annonæ caritate; si idem sciat complures mercatores Alexandria solvisse, navesque in cursu, frumento onustas, petentes Rhodum, viderit : dicturusne sit id Rhodiis, an silentio suum quam plurimo venditurus? » (*De Officiis*, III, 12.)

2. *De Officiis*, III, 15.

id est... cum, quod tu scias, id ignorare emolumenti tui causa velis eos, quorum intersit id scire. Hoc autem celandi genus quale sit, et cujus hominis, quis non videt? Certe non aperti, non simplicis, non ingenui, non justi, non viri boni; versuti potius, obscuri, astuti, fallacis, malitiosi, callidi, veteratoris, vafri. » Videturque Cicero existimare ab eo qui mercaturam facit hæc taliaque nomina difficillime vitari posse dum addit : « Hæc tot, et alia plura, nonne inutile est vitiorum subire nomina[1]? »

Ciceronis libenter nimiam argueris severitatem, sed ad animi statum quo australes præsertim populi ad jactandum quod vendunt feruntur[2], et ad cupiditatem quæ, cum non refrenaret religio, in rapinam sæpius vertitur, attendere debemus. Ut qui res expertus sit loquitur Cicero et negotiatorum insolentiam haud semel passus; itaque ad Quintum fratrem scribit : « Impudentiæ nonnullorum negotiatorum resisto », hortaturque ad moderationem : « Ne, inquit, improbum negotiatorem, paullo cupidiorem publicanum comprimere non possis », admonetque his verbis : « Qui potes reperire ex eo genere hominum, qui pecuniæ cupiditate adducti careant his rebus omnibus, a quibus nos divulsi esse non possumus, te autem, alienum hominem, ament ex animo, ac non sui commodi causa simulent?... Nullum erit genus in familiaritate cavendum magis,

1. *De Officiis*, III, 13.
2. Cujus exemplum invenies in Horatii epistola secunda, libri II.

propterea quod et ommes vias pecuniæ norunt, et omnia pecuniæ causa faciunt, et, quicum victuri non sunt, ejus existimationi consulere non curant[1]. » Itaque Cicero, dum provinciam administrabat, cum a familiaribus rogabatur ut eorum amicis Præfecturam daret semper respondebat : « Negavi me cuiquam negotianti dare[2]. »

Hæc sunt negotiatorum vitia quæ ad ipsarum negotiationum conditionem immerito vel facilius adscribit Cicero. Non tamen ad negotiationum contemptum sed magis ad probitatis laudem spectare videtur, cum hæc memoranda scribit verba : « Hoc secundum naturam esse neminem id agere, ut ex alterius prædetur inscientia[3] », et cum, pluribus exemplis relatis, iisque verbis jure sancitis *ex fide bona* talibusque quæ ut veritatis exempla proponit, hæc addit : « Sed aliter leges, aliter philosophi tollunt astutias : leges, quatenus manu tenere possunt; philosophi, quatenus ratione et intelligentia. Ratio igitur postulat, ne quid insidiose, ne quid simulate, ne quid fallaciter » ; et postquam insidias eorum qui vendunt cum plagis quæ feris tenduntur composuit : « Hoc quanquam video, inquit, propter depravationem consuetudinis, neque more turpe haberi, neque aut lege sanciri, aut jure civili : tamen naturæ lege sancitum est. Societas enim est, latissime quidem quæ pateat, hominum inter homines; interior eorum

1. *Ad Q. fratrem*, I, 1, §§ 2, 7, 15.
2. *Ad Atticum*, V, 21, § 10.
3. *De Officiis*, III, 17.

qui ejusdem gentis sunt; propior eorum, qui ejusdem civitatis[1]. »

Ut ea omnia intelligantur, memorandum est illam œconomicam conditionem quam dicimus *économie naturelle*, in qua quæque domus sibi ipsa sufficit, Romæ diu floruisse, etiam Ciceronis temporibus. Qua in conditione emptio et venditio inter patresfamilias tantummodo fit, nec negotiantibus tenuibusque mercaturis locus est. Cum paulatim ea mercatura majorem obtinuit vicem ea visa est quæ ad fovendas voluptates magis quam ad præstandum id quod utile erat apta esset,[2] non aliter notata est quam, nostris etiam temporibus, aliquando notantur homines qui foris emunt quod adhuc domi fieri et potest et solet.

Igitur cum mercatura apud Romanos contemni videtur semper contemptus eæ sunt causæ : timor mendacii aut luxus quo mores corrumpantur, aut ea vilis conditio tabernæ, sæpius cauponæ non dissimilis, qua mores periclitantur, aut ea non minus vilis, ut antiqui putabant, conditio tabernæ quæ officinæ vices simul tenebat, cum idem eodem loco et fabricabat et quod fabricaverat vendebat[3]. Quod cum frequens esset, ut

1. *De Officiis*, III, 17.

2. Ita sensisse videntur et Cæsar et populi quidam barbari. (Cæs., *de Bello Gallico*, I, 1 et IV, 2.)

3. Is nobis videtur sensus eorum verborum : « οὐδενὶ γὰρ ἐξῆν Ῥωμαίων οὔτε κάπηλον οὔτε χειροτέχνην βίον ἔχειν ». (Dionysius Halic., IX, 25.) Non ad omne negotiationis genus sunt referenda, sed ad eam mercaturam quæ in taberna cauponæ vel officinæ haud dissimili fieri solet; nam hic mentio fit « τῶν ἐργαζομένων τὰς βαναύσους τέχνας μετοίκων ».

ex ipsa locorum dispositione novimus in antiquis civitatibus, manualis laboris cum quo confundebatur contemptu afficiebatur mercatura. Animadvertendum est eas causas in tenuibus mercaturis quæ magis vituperabantur majorem habere partem.

In magnis autem negotiationibus, cum eis causis occasio minor vel nulla esset, Romani eis et verbis et præsertim re, ut vidimus, favebant. Cicero, cum Quinto fratri provinciam ab eo gubernatam laudat, laudat quoque cives « qui,... quod ita negotiantur, ut locupletes sint, nostri consulatus beneficio se incolumes fortunas habere arbitrantur », additque posterius : « Quo ex genere si quem forte tui cognosti amantiorem (fieri enim potuit) quam temporis, hunc vero ad tuum numerum libenter adscribito [1]. »

Itaque mirum est aliquos contendere nos, ut dicunt, Latina origine oriundos Romanaque cultura informatos ideo illo negotiandi studio carere quo alii populi, præsertim Angli, flagrare videntur. Quæ opinio, ut jam vidimus, ex magna parte in falsa aut saltem imperfecta historiæ notitia nititur. Non infitiandum tamen est apud Romanos sicut apud nos negotiationes aliquando non illo beneplacito animo visas fuisse quo plures sive apud alios populos, sive etiam apud nos hodie eas se videre prædicant. Non necesse est hanc morum similitudinem

1. *Ad Q. fratrem*, I, 1, §§ 6, 15. In epistolis Cicero sæpe commendat negotiatores, negotiantesve quos secum summa necessitudine junctos dicit. (Cf. in primis *Epist.*, lib. XIII.)

ad originis et generis et educationis similitudinem referre, sed magis quærendum est num hic et illic eædem causæ idem effecerint. Quæ, quamvis generales sint, apud alios populos minus efficienter egerunt et forsitan in futurum æque acturæ sunt.

Etenim apud Græcos jam philosophi negotiationes contemnebant. Cives ad civitatis defensionem omnimodo institui volebant. Patriæ prodesse et servire unum solumque ingenuo, imo illustri homine negotium dignum existimabant. Sed quomodo ipsis negotiationibus patriæ haud semel utilitas afferretur non satis intellexerunt. Præter illa omnia quæ Cicero, eorum instructus libris, adversus mercaturam retulit, num quis philosophus contendat quæstum vitæ summum esse finem? At contra quisque profitetur divitias non sibi ipsas esse finem, de quo fine alioquin inter se certant. Nec minus poetis invisa fuit « auri sacra fames ». Negotiatores autem majorem vitæ partem quæstibus intenti agere videntur.

Quibus doctrinis Christiana religio majorem vim, clarioremque sensum addidit, cum alteram vitam huic vitæ verum docuit esse finem; quanquam simul laboris et dignitatem et utilitatem omnibus ostendit; et, servitute paulatim recedente, ne id quidem causari potuerunt homines ut, tanquam servile, quod divinum esset contemnerent.

Remansit tamen et remanebit negotiationibus aliquid quod minus faveat; ex eo ipso quod labor pluris æstimari cœptus est, negotiationes, quæ non in creandis divitiis sed magis in emptione et venditione jam crea-

tarum divitiarum continentur, non verus labor reputabantur. Quod, etsi œconomica ratione, ut ita dicam, ineptum videtur, tamen aliquando vel sæpius non omnino falsum revera invenietur.

Adde quod in plurimis casibus ab Ecclesia usuræ interdictæ sunt. Ei interdictioni, quæ tempore paulatim mitigata est, forte causæ fuerunt immodicæ Romanorum usuræ et in œconomicis rebus dispiciendis error quidam quo confundebantur civiles usuræ quibus mores corrumpantur cum illis usuris quæ negotiationum et pars et nervus sunt. Sic crevit illa Judæorum in negotiationibus sollertia quæ ad meliorem famam eis conciliandam non multum profecit.

Quibus ex causis negotiationes non eamdem dignitatem ac liberales artes aut rerum publicarum cura obtinuerunt. Cur apud Francos eæ causæ, quæ non Romanorum propriæ sunt, majorem vim habuerint habeantque quam apud alios populos non nobis hic quærendum est. Animadvertere licet apud populos qui majori cultura prædíti erant eas majorem obtinuisse vim et præcipue apud Francos non quia Romana instituti erant cultura, sed quia præcellenti prædíti erant cultura.

Recens est autem apud Anglos, recentius apud Germanos illud negotiationum multiplex incrementum, cum ambo populi magis in agri cultura aut pastoralibus laboribus vitam diu egerint. Germani, et armorum gloria et exactarum a nobis pecuniarum copia incitati, ex paupertate vel mediocris rusticique generis vita quasi exci-

tati in negotiationes ruerunt. Quibus causis addendum est, illarum regionum majori in parte, Christianam religionem Reformatione ita inflexam fuisse ut utilitatis cura et divitiarum persecutio majorem haberent partem in vita illorum populorum suæ tamen religionis retinentium.

Non igitur facile accipienda est illa opinio quæ contendit Romanos eosque qui illorum sanguine orti et exemplis instructi sunt negotiationes ideo contemnere, sed notandum est Romæ, sicut apud nos, similibus vel etiam dissimilibus causis id accidisse ut negotiationes minoris haberentur. Qua in sententia, etsi admodum vituperanda et civibus civitatibusve quodam modo damno est, contemptio quædam earum rerum quæ ad quæstum tantummodo proficiunt inest, quæ quidem laudabilis reperietur.

PARS PRIOR

QUOMODO SERVI IN VARIIS NEGOTIIS NEGOTIATIONIBUSQUE ADHIBERI SOLERENT

CAPUT I

Cur servi in negotiis negotiationibusque potissimum adhiberentur.

Cum de œconomicis quæstionibus quales apud antiquos fuerint tractatur, id primum inter nostrum tempus et antiquitatem interesse videtur, quod apud nos nulli jam sunt servi.

Plerique inquirunt quæ fuerit servorum pars in *creandis* divitiis, quæ pars magna quidem sed non una solaque fuit; liberos enim operarios fuisse constat. Quæ autem servorum pars fuerit in *circumferendis* et *tribuendis* divitiis plerique non curant. Attamen eam magnam fuisse constat, quamvis a scriptoribus raro notetur [1].

1. Exempla magis quærenda sunt ex jurisperitorum operibus, præsertim ex locis in quibus propositi consulentibus casus refe-

Quantopere creverint privatorum opes divitiæque post Punica bella satis notum est. Cum ingens esset servorum numerus, majorque quam poscerent domus rurisque operæ, in mentem dominis venit ut servi, cum ipsi in divitiarum numero essent, novarum etiam divitiarum fons atque causa fierent; eo magis quod ingenui negotia negotiationesque, quibus maxime augentur divitiæ, sibi indecora existimarent.

In procemio ostendimus hunc negotiationum contemptum non in majus esse exaggerandum et præsertim non impedisse quominus negotiarentur Romani. Sed decoris ea erat vis ut illustres quique cives in negotiando non negotiari videri vellent. Eadem fere ratione qui liberales colebant artes, quæ etiam ingenuo minus convenientes reputabantur, earum ignari esse affectabant [1].

Romanis, salvo decore, omnia salva videbantur.

Haud alia ratione dominus cui res male successerat, servum heredem instituebat, ut nomine servi bona venumdarentur, et « *ignominia, quæ accedit ex venditione bonorum, hunc potius heredem quam ipsum testatorem contingeret* [2] ».

Apud Ciceronem legimus ipsum Brutum magnas

runtur, quos ex ordine in sequentibus capitibus, in primis in capite I partis 2, disposuimus.

1. Cicero in oratione adversus Verrem (act. 2, IV, 3), quam quidem non dixit sed scripsit, fingit se nomina artificum ignorare et modo simulata hæsitatione, modo interrogans eum qui ei suggerit nomina, pergit : « Earum (statuarum) artificem quem? quemnam? Recte admones : Polycletum esse dicebant. » Ex hoc exemplo intelligendum est qua diligentia, quam obliquis viis Romani caverent ne quod minus deceret aut scire aut facere viderentur.

2. Gaius, II, 154.

pecunias in Asia implicitas habuisse. Regis enim Ariobarzanis creditor erat, Pompeius quoque. Imo Brutus Salaminiis cum ingentibus usuris pecuniam crediderat, sed sub nomine familiarium se dissimulans et usuras et sortem expostulabat. In primis Brutus Ciceroni « majorem in modum commendaverat... familiares quosdam creditores Salaminiorum ex Cypro, M. Scaptium et P. Matinium[1] », libellumque Ciceroni miserat « in quo erat : *Salaminii pecuniam debent M. Scaptio et P. Matinio, familiaribus meis...* et quasi calcar admovebat, intercessisse se pro iis magnam pecuniam[2] ». Cicero « confecerat ut solverent centesimis sexennii ductis cum renovatione singulorum annorum. At Scaptius quaternas postulabat ». Tum Brutus paulatim se aperit atque aliquando Scaptius Ciceroni « impegit epistolam Bruti », in qua erat « rem illam suo periculo esse » ; quod, ut scribit Cicero Attico, « nec mihi unquam Brutus dixerat, nec tibi », miraturque, confiteturque se deceptum fuisse his verbis : « Quod video tibi etiam novum accidisse, tanquam mihi. Nunquam enim ex illo audivi illam pecuniam esse suam[3]. »

Notandum est quod Romani cives ea negotia plerumque non aperte faciebant (lex enim vetabat), libenter quærebant quem sibi prætenderent, illi quidquid dedecoris erat, sibi quæstus adsignantes. Imperii etiam

1. *Ad Atticum*, V, 21, § 10.
2. *Idem*, VI, 1, § 5.
3. *Ibid.*, §§ 5 et 6. Cf. etiam quibus viis Cato major pecuniam nautico fœnore exercere soleret per libertum. (Plut., *Cato*, XXI.)

temporibus eadem est cura se dissimulandi, sed non publicanorum aut amicorum nomen prætenditur : servus aut libertus ille est qui domini personam sustinet.

Publicanorum enim societatumque felicior præteriit ætas [1], provinciæ non jam ut regiones ex quibus quod exigatur recentis belli pretium videtur, sed ut ipsius Imperii partes habentur, et æquiore animo administrantur.

Ciceronis enim tempore pecuniæ sæpissime principibus aut civitatibus credebantur, plerumque ut civitates vectigalia a Romanis imposita, a publicanis collecta, solvere possent, atque ita circuitu quodam ex Urbe profectæ in Urbem redibant pecuniæ, et duplici quidem via maximoque incremento, cum et vectigal et usuræ et ipsa sors Romam confluerent [2].

Imperii autem temporibus, de quibus præcipue loquimur, ex collocandis pecuniis et ex usuris semper quæstus requiritur, sed eæ pecuniæ magis in negotiationibus implicantur. Inde necessitas rem accuratius gerendi et negotiationis vices assidue observandi orta est, servoque id commissum est dum dominus aut publicis rebus operam dabat aut voluptatibus indulgebat.

Servi enim ad negotiandum naturali, ut ita dicam, rerum cursu adducti erant. In antiquis temporibus quod familiæ utile erat ex cujusque familiæ agris suppedita-

1. Cujus temporis vividam invenies picturam in libro Antonini Deloume : *Les manieurs d'argent à Rome jusqu'à l'Empire.*

2. Cf. Plut., *Lucullus*, XX. Lex Gabinia id prohibere frustra tentavit.

batur aut domi per familiam fabricabatur. Sic quisque paterfamilias per familiæ suæ laborem sibi et familiæ providebat. Sed paulatim agrorum spatio, opibus, servorumque numero crescentibus, plus quam domui opus erat et colligebant et fabricabant, ergo quod supervacuum erat venum dari poterat. Servi qui domesticis rebus intenti erant, id quod supervacuum erat, inscio forsitan domino, primum aliquando venum dederint. Inde quasi fenestra aperta in publicam viam, initiumque negotiationum factum est quibus postea dominus, prioribus a servo datis exemplis, ubi etiam creverunt copiæ, servos adhibuit.

Aliud Romanis erat commodum cum servos in negotiationibus adhiberent; ii enim cum ex provinciis vel longinquis regionibus oriundi essent, sæpe præditi erant ingenio ad negotiationes aptissimo.

Quamvis, ut vidimus, Romani magnopere negotiati sint, non tamen ipsa natura ingenio ad negotiationes nato eos præditos esse credimus. Cujus ingenii quasi argumentum sit pristinum jus negotiis negotiationibusque minus aptum, si non contrarium quidem, sed Romano ingenio inerat illa facultas qua quidquid utile erat sibi assumerent isque utilitatis sensus quo leges et suppeditantur et eluduntur. Sic antiquis legibus alterum additum est jus quod in edicto prætoris urbani aut peregrini nec non in edicto ædilium continebatur. Quod quotidianis contractibus et negotiis negotiationibusque aptissimum erat.

Antiquis temporibus in agris colendis vitam degerant, quod quidem in omnium fere populorum cunabulis invenietur, sed apud eos singularis erat ille agri culturæ honor, in qua et majorum gloriæ et futuræ gloriæ causam et pignus videbant. Ideo Virgilius cum in restituendis moribus Augustum juvare voluit, ad laudem agri culturæ Georgica composuit.

Animadvertendum est etiam Romanorum negotiationes, quamvis magnæ essent, magis in rebus importandis quam exportandis contineri. Quod apparet tum ex locis scriptorum qui quod ex diversis provinciis vel regionibus in Urbem importatur notant, raro vel nunquam quod ex Urbe in eas regiones exportatur. In hoc negotiandi genere non res, sed argentum vel aurum ad solvendum datur, ideoque senatusconsulta, frustra alioquin, id impedire conata sunt[1]. Ex his similibusque, ut vectigalium numero et situ, portitorumque exactionibus, novimus Romanos non ad negotiationes ipsa natura informatos esse.

Græci vero et Carthaginienses, aliique Orientales populi eo ingenio quod in negotiationibus utilissimum esset quam maxime præditi erant. Cum servos ex his regionibus oriundos, in negotiationibus adhiberent Romani, et his utebantur facultatibus quibus ipsi non ita præditi erant, et suas proprias adjiciebant, atque non minime eam in rebus agendis gravitatem, in propositis constantiam, in rationibus adscribendis diligentiam

1. Cf. Cic., *in Vatin.*, 5; *pro Flacco*, 28.

quibus leviores expeditioresque carebant aliorum populorum animi; sic orbis terrarum negotiatores per servos facti sunt [1].

Multi enim erant servi ex Orientalibus oriundi regionibus, ut id colligere possumus ex eis quæ scriptores de eorum religione referunt. Quibus, cum varias novissent linguas, facile erat cum variis populis commercia jungere. Sic Romanus cum uno ejus imperio tot terras mariaque continerentur, in sua ipsa familia eos inveniebat qui cujuslibet generis negotiationes aggredi et scirent et vellent [2].

1. Hujus Romani ingenii, ad utilia semper spectantis, testimonia et in rebus gestis et in libris inveniuntur : « Nostri, ut scribit Plinius major, omnium utilitatum et virtutum rapacissimi. » (XXV, 2.) Cujus ingenii fortunam Virgilius his expressit versibus :

« Excudent alii spirantia mollius æra....
Tu regere imperio populos, Romane, memento. » (*Æneis*, VI, 847.)

Ejusdem ingenii et naturam et disciplinam haud semel pinxit Horatius :

« Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo
Musa loqui, præter laudem nullius avaris.
Romani pueri longis rationibus assem
Discunt in partes centum diducere. » (*Ad Pisones*, 323.)
« Romæ dulce diu fuit et solemne...
Cautos nominibus rectis expendere nummos,
Majores audire, minori dicere per quæ
Crescere res posset. » (*Epist.*, II, 1, 103.)
« O cives, cives, quærenda pecunia primum est :
Virtus post nummos. » Hæc Janus summus ab imo
Prodocet; hæc recinunt juvenes dictata senesque,
Lævo suspensi loculos tabulamque lacerto....
..... Rem facias, rem,
Si possis, recte; si non, quocumque modo rem. » (*Epist.*, I, 1, 53.)

Apud Plutarchum in vita Catonis majoris (XXI), ad rem augendam studiosius intenti, veram agnosces Romani illius ingenii notam.

2. « Vendere cum possis captivum, occidere noli :
Serviet utiliter. Sine pascat durus aretque;
Naviget ac mediis hiemet mercator in undis;
Annonæ prosit; portet frumenta penusque. »
(*Epist.*, I, 16, 69.)

Cato major, ut docet Plutarchus (*Cato*, XXI), servos multos de

Alia commoda erant quibus domini ad id impellerentur ut servos potius quam liberos homines in negotiis negotiationibusque adhiberent.

Servi enim non militia adstringebantur, itaque poterant sine ulla intermissionne negotiis vacare. Idem commodum, antequam recentibus legibus provisum esset, nostris etiam temporibus, in conterminis præsertim regionibus, ad id impellebat negotiantes ut iis magis uterentur hominibus qui neutrius populi essent cives, cum priorem amisissent civitatem neque alteram consecuti essent.

Cum domi serviendum est, terra aranda, utensilia fabricanda, facile intelligitur servorum hæc esse opera; sed cum de negotiis negotiationibusque agitur, in quibus emptio et venditio continetur, vix creditur eos quibus nihil erat proprium, qui ne debitores quidem esse poterant tanta fide dignos existimatos fuisse et a dominis et ab eis cum quibus negotiabantur.

In domino ea in primis erat erga servum fides quæ, cum in ipsius agentis utilitate inniteretur, etsi optimi cujusque hominis integritatem non æquaret, certe multorum probitatem superaret. Liber homo nummis et quæstu tentari potest, sive ut abeat cum loculis, sive ut fraudem faciat ei qui ejus utitur officio. Una tantum re servus tentari potest, quæ omnibus terræ divitiis sibi præstantior sit, libertate. « *Libertas inæstimabilis res est* [1]. »

captivis possedit. Etiam servis suis, qui voluissent, pecuniam dabat : hac illi pueros coemebant quos per annum a se doctos et exercitatos vendebant.

1. D., L, 17, 106.

Quæ libertas a domino solo dari potest et in bona gestione optimâ via patet ejus consequendæ. Servus fugitivus nullo modo, nulla temporis præscriptione ad libertatem veniet, ubique et semper eum persequi et punire licet. Quare domini majorem servis habebant fidem quam sæpe solemus liberis quibusque hominibus habere. Servorum probitatem libertatis spe sibi comparabant domini, servi libertatem ipsa probitate lucrabantur.

Utilem etiam fuisse domino existimari possit illam juris regulam qua servi debitores fieri non poterant, quæ ita enuntiari solet : *melior conditio nostra per servos fieri potest, deterior non potest.* Ex his verbis forte credas in negotiationibus dominum semper quæstum consequi, nunquam autem quidquam damni experiri, quod sane summum commodum videatur; id autem non minus œconomicis necessitatibus quam ipsi justitiæ repugnat.

Hæc domini conditio quæ optima est si ad civilem rationem spectas, in œconomicis rebus pessima est.

Negotiantibus fidem haberi necesse est, præsertim cum pleræque negotiationes non præsentibus nummis conficiantur. Quod igitur prodesse civili ratione videbatur, re vera nocebat. Itaque Romani, cum quidquid utile erat aptissimo sensu intelligerent, antiquam legem simul servaverunt et converterunt, aliquando etiam, negotiationum utilitate victi, subverterunt.

CAPUT II

Quomodo contractibus a negotiante servo factis teneretur dominus.

Duabus viis modisque provisum erat ut illam servo fidem, negotiationibus tam necessariam, haberent ii qui cum servo contrahebant, cum servus nec se ipsum, nec dominum obligare posset. In primis enim, certis casibus conditionibusque, servo dominum obligare licebat, deinde in omnibus fere casibus negotianti servo proprium quoddam « patrimonium » erat, quod contractibus a se factis obligabat. Quod patrimonium peculium erat, nec verbo abutimur, sed jurisconsultorum exemplum sequimur cum peculium vocamus : *patrimonium servi*[1].

Quomodo peculium quod libertatis quondam instrumentum et causa fuerat, negotiationum instrumentum et ratio factum sit nobis breviter ostendere necesse est,

1. D., XV, 1, 39.

cum ex peculio tota negotiationum materies pendeat, sive quæritur quomodo servus erga illos qui cum eo contraxerunt obligetur, sive quæritur quomodo servus quæstus ex negotiatione facti particeps fiat.

Notandum est primum peculium de quo tractabimus a priscorum temporum peculio, re, si non jure, longe dissimile esse.

Priscorum temporum peculium a servo paulatim colligebatur, sive ex viatico, fraudato ventre, sive e domini munusculis. Itaque : « *Peculium* dictum est, quasi pusilla pecunia [1]. — Peculium et ex eo consistit, quod parsimonia sua quis paravit [2]. » Quæ peculia potius sinente quam concedente domino nascebantur. Ad id unum tanto labore colligebantur ut, pretio libertatis æquato, libertatem servo compararent, unaque eorum ratio libertatis spes erat, ut expresse dixit Virgilius :

Nec spes libertatis erat, nec cura peculi.

Præter ea peculia quæ usque ad finem Romani Imperii penes quosdam servos inveniuntur, alia peculia erant quæ magnas opes continebant non a servo coacervatas sed a domino servo concessas. Quorum non libertas, sed negotiatio ratio erat. De his peculiis nobis tantummodo tractandum est quæ, quasi fractio quædam ex domini patrimonio scissa, separata patrimonia fiunt voluntate domini ad negotiationes exercendas.

Quicumque negotiatur servus, hujus generis pecu-

1. D., XV, 1, 5, § 3.
2. D., XV, 1, 39.

lium habet; ipsa enim negotiationis utilitas, ut videbimus, id requirit. Quod peculium, et si ingens esset, non tamen magnis terrestribus maritimisque negotiationibus utique par esse poterat. Illi qui eas aggrediebatur totius dominici patrimonii facultatibus opus erat. Itaque Prætores eas proposuerunt actiones quæ « *adjectitiæ qualitatis* » jure dicebantur, et quibus, certis conditionibus, negotianti servo dominum in solidum obligare licebat [1]. Quæ etiam *institoria* vel *exercitoria* vocabantur, prout servus terrestri negotiationi ut institor præponebatur, vel maritimæ ut magister navis [2].

In quibus casibus non nisi expressa domini voluntate, dominus in solidum teneri potest, nec tantum dominus negotiationem jussisse debet, sed certam legem ei imponere potest. Quæ « *præpositionis lex* » dicitur, nam eis casibus negotians servus *præpositus* vocatur [3].

1. Quæ actiones non tantum in casu præpositi servi locum habebant, sed etiam in casu cujusque personæ præpositæ. Præpositi autem servi casum multo frequentiorem fuisse ex ipsis prudentum scriptis apparet. (*Inst.*, IV, 7. Cf. etiam *Pauli Sent.*, II, 8.)

2. « *Institor* est, qui tabernæ, locove, ad emendum, vendendumve præponitur, quique sine loco ad eumdem actum præponitur. » (D., XIV, 3, 18) Invenimus « tabernam purpurariam cum servis institoribus et purpuris (D., XXXII, 91, § 2); — tabernæ cauponiæ institores » (D, XXXIII, 7, 13); « nam plerique, ait Gaius, pueros puellasque tabernis præponunt. » (D., XIV, 3, 8.) — « *Magistrum navis* accipere debemus, cui totius navis cura mandata est... Magistri imponuntur locandis navibus, vel ad merces, vel vectoribus conducendis, armamentisve emendis »; possunt etiam « mercibus emendis, vel vendendis præponi ». (D., XIV, 1, 1, §§ 1 et 3.) — Institoria actio ex nomine *præpositi*, qui institor dicitur, nomen sumit; exercitoria autem ex nomine *præponentis*, qui exercitor appellatur. « Exercitor vocatur is ad quem cottidianus navis quæstus pervenit. » (Gaius, IV, 71.) Ipsum exercitorem servum esse posse ex prudentum scriptis discimus.

3. Sequuntur quædam præpositionum exempla : — *præpositus*

Quæ lex aut strictior aut latior esse proterat, sed utique servanda. Diversæ hujus legis conditiones in sequenti fragmento referuntur : « Conditio autem præpositionis servanda est : quid enim, si certa lege, vel interventu cujusdam personæ, vel sub pignore voluit cum eo contrahi, vel ad certam rem? Æquissimum erit, id servari, in quo præpositus est. Item, si plures habuit institores, vel cum omnibus simul contrahi voluit, vel cum uno solo; sed si denunciavit cui, ne cum eo contraheret : non debet institoria teneri : nam et certam personam possumus prohibere contrahere, vel certum genus hominum, vel negotiatorum, vel certis hominibus permittere... Sed si in totum prohibuit cum

« ad mercium distractionem (D., XIV, 3, 5, § 12); — mancipiis, vel jumentis, pecoribusve emendis vendendisque (D., XIV, 3, 17, pr.); — merci oleariæ, Arelatæ, et mutuis pecuniis accipiendis (D., XIV, 3, 13, pr.); — in mensa (D., XIV, 3, 5, § 3); — pecuniis tantum fœnerandis (D., XIV, 3, 19, § 3); — mutuis pecuniis dandis, et pignoribus accipiendis (D., XIV, 5, 8); — pecuniis fœnerandis, agris colendis, mercaturis, redempturisque faciendis. » (D., XIV, 3, 5, § 2.) Villicus autem non ut institor habetur, ideoque institoria actio non competit ei qui cum eo contraxit, « quia villicus propter fructus percipiendos, non propter quæstum præponitur ». (D., XIV, 3, 16.) Unde apparet has de quibus loquimur actiones maxime negotiationum gratia introductas esse et ad ea negotia quæ apud nos *commerciaux* dicuntur in primis pertinere. — Invenitur etiam « servus unius ex sociis, societati a domino præpositus » (D., XVII, 2, 23, § 1), et in sequenti fragmento : « Si ambo socii servum alterius præposuerint... » Imo servus potest admitti socius : « Si servus societatem coïerit... » (D., XVII, 2, 18.) — Fullonum sarcinatorumque institores inveniuntur; institores dicuntur : circitores, muliones, stabularii. (D., XIV, 3, 5, § 4 et seq.) — Ut institor habetur « servus missus ad merces comparandas ». (D., XIV, 3, 5, § 7.) — Per institores etiam negotiationes exercentur in longinquis regionibus; Gaius, ut de re frequenti, loquitur de his « qui transmaritimas negotiationes, et aliis regionibus, quam in quibus ipsi morantur, per servos atque libertos exercent ». (D., XL, 9, 10.)

eo contrahi, præpositi loco non habetur : cum magis hic custodis sit loco, quam institoris. Ergo nec vendere mercem hic poterit, nec modicum quid ex taberna[1]. »

Dominus igitur cum præposito servo contrahi prohibere potest, sed ea, quæ rara erat lex et servi malæ gestioni scilicet tribuenda, non nisi strictis conditionibus recipiebatur, ne ii qui cum servo contraxerant deciperentur. In sequenti fragmento legimus admonitiones notatione dignas ut ea lex omnibus pateat, nam in negotiationibus nulla lex nisi ea conditione ut pateat valet.

Oportet enim proscribere palam : *ne cum eo contrahatur*. « *Proscribere palam* sic accipimus, claris litteris, unde de plano recte legi possit, ante tabernam scilicet vel ante eum locum, in quo negotiatio exercetur, non in loco remoto, sed in evidenti. Litteris utrum græcis, an latinis? Puto secundum loci conditionem : ne quis causari possit ignorantiam litterarum : certe, si quis dicat ignorasse se litteras vel non observasse quod propositum erat, cum multi legerent, cumque palam esset propositum, non audietur. Proscriptum autem perpetuo esse oportet. Ceterum si per id temporis, quo propositum non erat, vel obscurata proscriptione, contractum sit, institoria locum habebit. Proinde si dominus quidem mercis proscripsisset, alius autem sustulit, aut vetustate vel pluvia, vel quo simili contingit, ne proscriptum esset, vel non pareret, dicendum eum qui præposuit teneri. Sed si ipse institor decipiendi

1. D., XIV, 3, 11, §§ 5 et 6.

mei causa detraxit, dolus ipsius præponenti nocere debet, nisi particeps doli fuerit, qui contraxit[1]. »

Alia autem ratione servus in negotiationibus adhiberi potest, peculium ei a domino conceditur, eoque ipso peculio negotiatur servus. Quo casu dominus non jam in solidum tenetur, sed tantum ad finem peculii, quod jurisconsulti his verbis exprimere solent, cum « dominum de peculio teneri » dicunt. In uno fragmento quid inter duas illas conditiones intersit satis explicatur : « Si servus argentariam faciat (potest enim) : si quidem voluntate domini fecerit, compellendum dominum edere (rationes), ac perinde in eum dandum est judicium, ac si ipse fecisset... Si servus peculiarem faciat argentariam : dominus de peculio, vel de in rem verso[2] tenetur[3]. »

Peculium cum negotiatione in hoc casu arcte connexum est, negotiationis sors peculium est, aut totum aut ejus pars quædam. Peculio et instrumentum quo negotiatur servus et merces quas vendit empta sunt; empti sunt etiam aliquando alii servi quos ipse ut adjutores in negotiatione tractanda vel etiam institores habebit, si in pluribus locis negotiatur aut, domini more, nolit per

1. D., XIV, 3, 11, §§ 3 et 4.

2. « *In rem versum* » id intelligitur quod ex facto servi domino lucro fuit, semperque de eo tenetur dominus, ne, fraudato aliquo, proficiat. Quod non negotiationum gratia, sed æquitatis causa receptum erat in quibuslibet casibus, cum alter alterius negotium gerit.

3. D., II, 13, 4, § 3.

se ipsum negotiationem exercere. Ab institore autem servi peculio negotiantis non dominus in solidum sed tantummodo ad peculii finem obligatur : « Parvi refert cum ipso servo contrahatur, an cum institore ejus[1]. » Sic servo licet negotiationem instruere, sæpe dominus ipse hanc jubet instrui, in nonnullis casibus eum consentire, in quibusdam etiam eum pati satis est, quod Ulpianus eleganter expressit, cum dixit requiri « non voluntatem, sed patientiam : non enim, inquit, velle debet dominus, sed non nolle[2] ».

In actione de peculio id quod a servo domino debetur qualibet ex causa de peculio primum deducendum est, et is qui de peculio agit non amplius consequetur quam quod e peculio superest.

Non ea erat conditio quæ negotiationibus faveret. Non enim manifeste apparet quid quantumque a servo domino debeatur; quique cum servo contraxerunt decipi possunt. Itaque existimandum est sine actione servum sponte ea solvisse debita quæ ex negotiatione orta erant.

Ita se rem habuisse dum floreret negotiatio, nihil mirum; quid autem fiebat cum negotianti servo res male successisset? Quid tum fieret ut intelligamus, memorandum est servum qui per peculium negotiabatur plerumque non ingentes negotiationes exercere, quæ a servis institoribus potius exercebantur. Adde quod in antiquis civitatibus cives ceteris civibus magis noti erant, magistratusque in privatis rebus sæpius intervenire solebant.

1. D., XIV, 4, 5, § 3.
2. D., XIV, 4, 1, § 3.

Prætor ille magistratus erat qui de negotiationibus negotiantibusque curaret; peculio negotiantis servi cum res male se haberet, nec debitis solvendis quod supererat par esset, Prætor interveniebat : « Arbitrum in hanc rem Prætor debebit dare, cujus interventu tribuantur merces peculiares[1] ». Ibi nullum erat domino jus quod ipsi debebatur deducendi : « Tributio autem fit pro rata ejus quod cuique debeatur[2] ». Æqualitas inter eos quibus debetur omnino servatur; ipsarum negotiationum utilitate et ea vi quæ œconomicis in rebus agit antiqua privilegia franguntur, neque plus juris dominus in peculio jam habet quam is, quicumque est, cui a servo debetur. Sed si non toto peculio negotiatur servus, in ea tantum parte qua negotiatur privilegium amittit dominus, et inde argumentum sumendum est negotiationis tantummodo causa jus antiquum cessare.

Quæ tributio de qua loquimur ei nostri juris institutioni quam dicimus *faillite* merito comparetur, arbiterque a Prætore datus illius quem dicimus *liquidateur judiciaire* non dissimili fungitur officio.

Dominus ipse, si malebat, poterat eo officio fungi peculiique tributionem eodem modo facere. Si autem eo officio non secundum juris æquitatisque regulas functus erat, actio quæ *tributoria* dicebatur eis competebat qui fraudati erant ut tributio æquior fieret, et quod eis deberetur persequerentur. Notandum est tributoriam

1. D., XIV, 4, 7, § 1.
2. D., XIV, 4, 5, § 19.

actionem non ut tributio fiat locum habere, sed ut tributio male facta corrigatur; quod ex scriptis apparet : « Non aliter, quam dolo interveniente competit[1]. — Dolum malum coercet domini[2]. »

Sic negotiationum cursus, usu et moribus faventibus potius quam juris claustris strictius coercentibus, latior profluebat. Negotiantes usu discunt suam ipsis probitatem lucro esse magis quam injustos quæstus, atque, injuria aliis a se facta, olim se magis passuros. In ceteris vitæ civilis actibus is qui fraudem fecit nisi legibus punitur, raro rerum naturali cursu debitas dabit pœnas. Itaque semper et ubique in civili jure plures sunt actiones quam in eo jure quod ad negotiationum usus pertinet; nec ideo putandum est negotiationes non floruisse quod illa juris pars quæ ad eas directe pertinet parva videatur.

Cum igitur *peculio negotiatur* servus, manifestum est servum peculium habere negotiationi non impar; sed etiam, cum alicui negotiationi *præpositus* partem dominici patrimonii exercet, non minus peculium habet. Iis enim qui cum præposito servo contraxerant contra dominum in solidum agere licebat, sed tantummodo si certis conditionibus, quæ præpositionis lege definiebantur, contraxerant; si autem extra hanc legem, quod accidere poterat, contraxissent, de peculio eis onmimodo agere licebat; sic peculium creditoribus servi quasi

1. D., XIV, 4, 8.
2. D., XIV, 4, 7, § 2.

ultimum refugium erat. Itaque in utroque casu, sive peculio negotiantis servi, sive præpositi, merito dicebatur : « Qui cum servo contrahit, universum peculium ejus, quod ubicunque est, veluti patrimonium, intuetur [1]. » Cavebatur enim ne dominus in fraudem creditorum minueret vel adimeret peculium. Imo dominus quodammodo peculium tueri debebat adversus ea quæ servus in fraudem eorum facere posset [2].

Non solum iis qui cum servo contraxerant, sed etiam ipsi domino peculium aliquando pro cautione erat, etenim cum servus, ut videbimus, jussus est rationes reddere et reliqua solvere, si ea dissipavit, rebus peculiaribus venditis, id quod domino debet solvitur [3].

Idem denique peculium quod negotiationum utilitate ostendimus ita crevisse ut magnis negotiationibus aliquando non impar fieret, mox videbimus non jam libertatis pretium, sed « patrimonium manumisso futurum [4] ». Peculio igitur eæ duæ conditiones, negotiationibus tam necessariæ, quibus servus carere videbatur, comparabantur, cum id efficeretur ut et fidem haberent ii qui cum servo contrahebant, et servus qui negotiabatur, quæstus quodammodo particeps factus, ad bonam gestionem magis impelleretur.

1. D., XV, 1, 32, pr.
2. « Summa cum ratione etiam hoc peculio Prætor imputabit, quod dolo malo domini factum est, quo minus in peculio esset. Sed dolum malum accipere debemus, si ei ademit peculium : sed et si eum intricare peculium in necem creditorum passus est, Mela scribit, dolo malo ejus factum. » (D., XV, 1, 21, pr.)
3. Cf. D., XL, 7, 23, § 1.
4. D., XXXIII, 8, 8, § 8.

PARS ALTERA

QUOMODO QUÆSTUS PARTICIPES FIERENT DOMINUS ET SERVUS DEIN LIBERTUS ET PATRONUS

CAPUT I

De rationibus reddendis.

« Ratio reddita » ipsa libertatis conditio est; ea est qua jam uti non possumus ne præpositi infideles cum loculis pecuniaque fugiant. Libertas incerta manet donec ultimus solvatur as. Sic Romæ crevit eorum numerus qui in jure *statu liberi* dicebantur, quod ea conditione liberi essent ut rationes redderent aut certam pecuniam solverent.

Sequuntur exempla, ex multis excerpta, libertatis sub conditione rationum reddendarum datæ. Ex testamentis in Digestorum libris relatis, ea colligimus, ut ipsius testatoris verba legentes firmiorem eis adhibeamus fiduciam.

« *Stichus et Damas servi mei, si rationes reddideritis, liberi estote*[1]. » — « *Stichus, si rationes diligenter tractasse videbitur, liber esto*[2]. » — « *Pamphilus, si bene se gesserit rationibus meis, liber esto*[3]. » — « *Onesiphore, nisi diligenter rationem excusseris, liber ne esto*[4]. »

Sæpe etiam filio suo rationes reddi jubet testator : « *Pamphilus liber esto, ita ut filiis meis rationem reddat*[5]. » Quodsi filius junior esset, nec satis magnum usum in rebus habere existimaretur, rationum redditio atque ipsa libertas in illud tempus differebatur quo filius ipse rationes excutere posset atque vacuæ gestioni providere. Plerumque fere sextus et decimus annus ea erat ætas qua ad rationes accipiendas idoneus haberetur, ut ex scriptis apparet : « *Cupitum servum meum, cum Marcianus filius meus sedecim annos impleverit, rationibus redditis liberum esse volo*[6]. » — « *Ab heredibus meis peto, fideique eorum committo, cum filius meus sedecim annos impleverit, Stichum rationibus redditis manumittant*[7]. » — « *December dispensator meus, Severus villicus et Victorina villica, Severi contubernalis, in annos octo liberi sunto*[8] : *quos in ministerio filii mei esse volo : a te autem Severe,*

1. D., XL, 5, 41, § 11.
2. D., XL, 4, 8.
3. D., XL, 5, 18.
4. D., XL, 4, 59, § 2.
5. D., XL, 4, 17, § 1 (XL, 4, 17, § 2).
6. D., XL, 5, 41, § 10.
7. D., XL, 5, 41, § 13.
8. Quo tempore filius septem et decem annos natus erit, nam eo tempore quo pater testabatur novennis erat, et jurisconsultus monet octo annos non a die mortis sed magis a die testamenti facti computandos esse.

fili carissime, peto, uti Decembrem et Severum commendatos habeas : quibus præsentem libertatem non dedi, ut idonea ministeria haberes, quos spero te et libertos idoneos habiturum [1]. » Ex causa non absimili hoc testamentum scriptum esse videtur : « *Spendophorus, cum filia mea in familia nupserit, si rationes idonee filiæ meæ administratas reddiderit, liber esto* [2]. »

Omnesne eæ rationes redditæ ad negotiationes pertinebant? — Non omnes quidem, sed multæ.

In primis nobis argumento sunt volumina rationum de quibus toties sermo est : « In reliquis accipere debemus, ut et ipsa volumina rationum reddantur[3]. — Rationum reddendarum conditio, quod ad reliqua quidem attinet, in danda pecunia consistit; quod autem ad ipsa volumina rationum tradenda, percontandasque et examinandas rationes, et in dispungendas atque excutiendas, factum habet[4]. » Dominus certis temporibus subscribere solebat : « Rationes a domino scriptas[5].... — Cum propter gravem valetudinem testator non potuerit rationibus subscribere[6].... — Lucius Titius, cum Erotem actorem haberet, codicillis ita cavit : *Erotem liberum esse volo : quem rationes reddere volo ejus temporis, quod erit post novissimam meam subscriptionem* [7]. »

1. D., XL, 5, 41, § 15.
2. D., XL, 5, 41, § 16.
3. D., XL, 4, 13, § 2.
4. D., XL, 7, 6, § 7.
5. D., XL, 5, 41, § 17.
6. D., XL, 7, 40, § 3.
7. D., XXXIV, 3, 12.

Ex his exemplis apparet rationum volumina magni momenti fuisse, ex quo non tantum ad domesticas res pertinere videntur, sed etiam in his ampliora negotia vel negotiationes referri existimandum est. Eo quod tanta cura in rationibus reddendis adhibebatur, idem probatur, plerumque testator scripsit : *ex fide bona, diligenter.* « Diligentiam desiderare eam debemus, ait jurisconsultus, quæ domino, non quæ servo fuerit utilis. Erit autem ei diligentiæ conjuncta fides bona, non solum in rationibus ordinandis, sed etiam in reliquo reddendo[1]. — Libertate servo sub conditione rationis redditæ testamento data, heres non solum scriptam rationem exigit, verum etiam quæ sine scriptura ab eo administrata est[2]. »

Ex quibusdam denique fragmentis[3] discimus duos servos in eadem gestione adhibitos fuisse, quam ingentem fuisse non immerito inde creditur.

Idem clarius apparet ex locis in quibus de arbitro agitur « in servum et dominum dato » ad excutiendas rationes; qui quidem, si tantummodo eæ rationes privatis domesticisque rebus continerentur, cur interveniret minus videremus, præsertim cum Romani, ut jam retulimus, domesticis in impensis scribendis diligentissimi accuratissimique essent. « Si rationibus redditis liber esse jussus fuerit : arbiter in servum et dominum, id est heredem, datur de rationibus excutiendis[4]. » Si servo

1. D., XL, 7, 21, pr.
2. D., XL, 7, 26, pr.
3. D., XL, 4, 13, § 2, et D., XL, 7, 13, § 2.
4. D., XL, 1, 5, § 1.

qui « rationes administrasse dicatur », per fideicommissum libertas datur, rescripsit his verbis Marcus Aurelius : « Confestim arbiter a Prætore erit dandus, apud quem rationem, quam administrasse eum apparuit, ex fide reddat[1]. » Nonne, ut eadem similitudine qua jam usi sumus etiam utamur, arbiter ille ei qui in nostro jure dissolutæ societatis rationes expedit merito comparandus est? Suum utrique tribuit, sed inter dominum servumque difficilior partitio est, propter peculium quod jure domini, re atque facto servi erat.

Ex aliis indiciis idem clarius apparet, ut ex fragmentis in quibus de fortuitis casibus qui accidere possunt agitur : « In negotio, quod voluntate domini administrasse proponatur, ea damna, quæ casu ita acciderint, ut servo nihil possit imputari, non pertinere ad reliquorum onus[2]. » Ex alio fragmento discimus servum, ut confestim liber sit, satisdare debere de reliquo, « quod obscurius est » et temporis tractu tantummodo definiri potest, sequensque hujus decreti causa datur : « Ne multi ad libertatem pervenire non possint, incerta causa rationis, et genere negotii hujusmodi[3]. » Quod « genus negotii » etsi non nominatur, tamen periculosum fuisse videtur neque ad domestica negotia referendum, idemque non infrequens fuisse ex hoc discimus quod « multis » id decretum proderat.

Ut jam notavimus, ea verba *negotium*, *negotiatio* nihil

1. D., XL, 5, 37.
2. D., XL, 5, 41, § 7.
3. D., XL, 7, 5, pr.

habent quod definitum sit aut certum, aliud autem verbum quod frequentissime occurrit non minus anceps et dubium est : servus enim vocatur *actor*, id quod gerit *actus*. Si eorum opinionem sequimur qui *negotium* ex verbis *nec otium* ortum esse credunt, non immerito notabimus illius proprii verbi *commerce* quo Romana lingua caret vicem explere verba quæ agentem aliquem significent, nostrisque temporibus, cum aut falsus aut verus honor obstat quominus proprio verbo utantur, Galli eadem utuntur figura cum dicunt *les affaires*.

Nobis nunc referenda sunt scripta in quibus de actoribus actibusque sermo est, ut ex his, si licet, quid revera ageretur sentiamus : « *Si rationem actus sui ex fide dedisset* [1].... » — « *Stichus, servus meus actor, si rationem omnem actus sui heredi meo reddiderit, eoque nomine satisfecerit, liber esto* [2]. » — Uxor quædam dat libertatem « Sticho actori mariti [3] ». — « *Volo, et a te peto, soror suavissima, ut Stichum et Damam actores meos* (τοὺς πραγματευτάς μου, nam græce scripsit testator), *quos ego, quoad rationes retulerint, non manumisi, tibi esse commendatissimos* [4]. » — « Titius testamento servos actores singulos diversis personis legavit, cum adjectione, *si rationes heredi reddiderint* : deinde proprio capite ita scripsit : *omnes actores, quos legavi, vel manumisero, intra quartum mensem mortis meæ rationes reddere volo, et dominis, quibus a me legati sint, reddi* : infra deinde alios actores

1. D., XL, 4, 53.
2. D., XL, 7, 40, § 3.
3. D., XL, 5, 19, pr.
4. D., XL, 5, 41, § 4.

liberos esse jussit æque cum hac adjectione, *si rationes heredi reddiderint* [1]. »

Ex his locis, etiam cum græce scripsit testator, actoris vices non dilucidius nosci possunt, sed ex sequentibus manifestius apparebit quid ageret actor, et actoris vicem in pecuniis exercendis præsertim contineri tunc noscemus. « Argentarius coactor, cum pene totam fortunam in nominibus haberet, servis actoribus libertatem ita dedit : *Quisquis mihi heres erit, si Dama servus meus actus sui, qui agitur nomine ejus et Pamphili conservi sui, heredi meo rationes reddiderit, pariaque fecerit a die mortis meæ, intra mensem sextum : liber esto* [2]. » — « ... *Centum nummos, quos hoc die commendasti mihi adnumerante servo Sticho actore, esse apud me, ut notum haberes, hac epistola, manu mea scripta, tibi notum facio : quæ, quando voles, et ubi voles, confestim tibi numerabo* [3] ». — « His verbis legavit : *Uxori meæ lateralia mea viatoria, et quidquid in his conditum erit, quæ menbranulis mea manu scriptis continebuntur, nec ea sint exacta, cum moriar, licet in rationes meas translata sint, et cautiones ad actorem meum transtulerim* [4]. » — « Si quis Titio mandaverit, *ut ab actoribus suis mutuam pecuniam acciperet* [5]... » — « Prædiis per præceptionem filiæ datis *cum reliquis actorum et colonorum*, ea reliqua videntur legata, quæ de reditu prædiorum in eadem causa manserunt : alioquin pecuniam

1. D., XL, 7, 40, § 7.
2. D., XL, 7, 40, § 8.
3. D., XVI, 3, 24.
4. D., XXXII, 102, pr.
5. D., XVII, 1, 10, § 4.

a colonis exactam, et in calendarium in eadem regione versam, reliquis non contineri, neque colonorum, neque actorum, facile constabit, tametsi nominatim actores ad filiam pertinere voluit[1]. — Prædia, ut instructa sunt, cum dotibus, et reliquis colonorum, et villicorum, et mancipiis, et pecore omni legavit, et peculiis, et cum actore.... Idem quæsiit in actore legato, an uxor et filia legato cedant : cum actor non in prædiis, sed in civitate moratus sit[2]. » — « *Ne a Gaio Seio rationes actus rei meæ, quæ per mensam ejus..., in diem mortis meæ gesta est, exigatis*[3]. » — Actor « exigendis pecuniis præpositus[4] ». — « Chrysogonus Flavii Candidi servus actor scripsit coram subscribente et adsignante domino meo, *accepisse eum a Julio Zosa... mutua denaria mille : quæ dari Quintiliano... stipulatus est Zosas libertus, et rem agens Quintiliani*[5]... » Cum de rationibus cujusdam servi actoris agitur, quæritur : « An ea quæ exacta sunt, per adjutores ejus, neque calendario illata sunt, ... huic adscribi possint : cum esset is præpositus?... An eorum quoque nomine ratio haberi debeat, quod neque a conductoribus prædiorum, neque a villicis pensiones exegerit, et insuper etiam promutuum eis dederit[6] ? »

1. D., XXXII, 91, pr.
2. D., XXXIII, 7, 20, §§ 3 et 4.
3. D., XXXIV, 3, 28, § 9.
4. D., XLIV, 4, 5, § 3.
5. D., XLV, 1, 126, § 2.
6. D., XL, 7, 40, §§ 4 et 5. — In societate quadam alterius sociorum servus actor pecuniam infert. (C. I. L., III, p. 950.) — In Evangeliis haud semel de variis servorum officiis, per comparationis modum, agitur : « Homo peregre proficiscens vocavit servos suos et tradidit illis bona sua.... unicuique secundum propriam virtutem, — et ait

Non absimili fungitur officio servus qui vocatur *arcarius* : « Stichus arcarius, probante domino, nomina fecit [1]. »

Ipsum *negotiatoris* vel *negotiantis* nomen servis datum aliquando occurrit : « Legatis servis, *exceptis negotiatoribus*, Labeo scripsit, eos legato exceptos videri, qui præpositi essent negotii exercendi causa; veluti qui ad emendum, locandum, conducendum præpositi essent : cubicularios autem, vel obsonatores, vel eos, qui piscatoribus præpositi sunt, non videri *negotiationis* appellatione contineri [2]. » Apud Petronium denique legimus : « Lycas Tarentinus, homo verecundissimus, et non tantum hujus navigii dominus, quod regit, sed fundorum

ad illos : Negotiamini (πραγματεύσασθε) », reversus « posuit rationem cum eis — ut sciret quantum quisque negotiatus esset ». Ei qui quinque talenta acceperat et alia quinque superlucratus erat dominus dicit : « Super multa te constituam ». Ei autem qui unum talentum cum accepisset nihil superlucratus erat dicit : « Oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis, et veniens ego recepissem utique quod meum est, cum usura ». (Matth., XXV, 14 et seq.; — Luc., XIX, 12 et seq.) Qui sunt vere *actores*. Actor etiam videtur esse is qui, cum dominus vellet « rationem ponere cum servis suis..., debebat ei decem millia talenta », qui autem, cum dominus debitum dimisisset ei, « invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios et tenens suffocabat eum ». (Matth., XVIII, 23 et seq.) Quod monstrat inter conservos debita existere potuisse. *Conservus* ille prioris forte erat *vicarius* (utriusque verbi eumdem esse sensum ex Horatii sermonum lib. II, 7, 79 novimus.) Dispensatoris officia in aliis locis notantur, discimusque eum, qui fidelis dispensator inventus esset, ad actoris vices pervenire solere. (Matth., XXIV, 45 et seq.; — Luc., XII, 42 et seq.)

1. D., XL, 5, 41, § 17. — Cf. etiam casum notatione dignum quo servus quidam « mutuam pecuniam nauticam » credit, certis conditionibus, conservumque mittit cum debitore navigaturum. (D., XLV, 1, 122, § 1.) — Multis in locis servi dicuntur scripsisse se « accepisse pecuniam » : D., XLVI, 3, 102, § 2, et in apochis Pompeianis (C. I. L., IV supplem., num. VI, XX, XXIII, CXXXVIII et seq.).

2. D., XXXII, 65, pr.

etiam aliquot, et familiæ negotiantis, onus deferendum ad mercatum conduxit [1]. » Hoc nomine « familiæ negotiantis » servi negotiatores, ut putamus, designantur [2].

1. *Satyricon*, c. 101.
2. Ita sensit Burmann ad Petron., 101.

CAPUT II

De libertate et peculio donato.

Sive cum peculio negotiatur servus, assentiente domino, ita ut peculium quasi sors negotiationis haberi possit; sive parti dominici patrimonii præpositus, eam negotiationibus exercet, in utroque casu servus peculium habet, ut jam diximus, negotiationi quam gerit non impar.

Peculium igitur negotiationi quam gerit servus consequens aptumque est, sæpe ex instrumentis mercibusque consistit, itaque, cum manumittitur servus, peculium non libertatis pretium compensare videtur, libertas enim non per nummos sed per sollertiam et fidelitatem his servis empta est. Quid igitur ipsum peculium fiet? Si totum ad dominum redeat, cum eo servo qui negotiationem exercet durius agatur quam cum minimo quoque servo, cum is plerumque etiam peculium suum cum libertate accipiat. Etiam si soli domini utilitati consulimus, aut damnum ei afferetur,

aut saltem lucrum cessabit eo quod peculium cum negotiatione tam intime connexum est ut non sine detrimento ab ea separari queat. Si autem dominus alteri servo peculium cum negotiatione gerenda committeret, huic posteriori servo forte non eadem sollertia, non utique ea industria foret quæ usu tantum et tempore acquiritur.

Quidquid est, ex scriptis discimus peculium concessum fuisse, aut ipso jure, aut facto : « Si Sticho, peculium cun manumitteretur, ademptum non est, videtur concessum [1]. — Longe diversam causam eorum, qui a superstitibus manumittuntur, item illorum, quibus testamento libertas relinquitur, esse.. : cum superiore quidem casu concessum tacite peculium, si non adimatur : posteriore vero, nisi specialiter fuerit datum, penes successores remanere, juris sit evidentissimi [2]. » Sed ex testamentis in quibus de servis in negotiationibus adhibitis agitur videmus peculium specialiter atque expresse dari, ut in sequentibus quæ ex multis excerpta sunt : « Actori suo Antiocho data libertate, *prædia certa et peculium et reliqua relegaverat, tam sua, quam colonorum* [3]. » — « Tabernam cum cænaculo Pardulæ manumisso testamento legaverat *cum mercibus et instrumentis et supellectili, quæ ibi esset : item horreum vinarium cum vino, et vasis, et instrumento, et institoribus, quos secum habere consueverat* [4]. » — « Ad eum quem manu-

1. D., XV, 1, 53.
2. C., VII, 23.
3. D., XXXII, 97.
4. D., XXXIII, 7, 7.

miserat, epistolam misit in hæc verba : *Titius Sticho liberto suo salutem. Cum te manumiserim, peculium quoque tuum omne, quidquid habes, tam in nominibus, quam in rebus moventibus, sive in numerato, me tibi concedere, hac epistola manu mea scripta notum tibi facio*[1]. » — « ... *Lucius Eutychus... e media hereditate sumito, sibique habeto una cum Pamphilo, quem liberum esse jubeo, instrumentum tabernæ ferrariæ, ita ut negotium exerceatis*[2]. » Denique Severus et Antoninus rescripserant : « Peculium videri legatum, cum rationibus redditis liber esse jussus est, et ex eo reliquas inferre[3]. »

Aliis autem ex locis apparet id quod jam prænotavimus, aliquas res vel pecunias, quæ ad negotiationem pertineant, cui præpositus est servus, cum peculio sin jure, at saltem facto permixtas esse. Servo, ut diximus, certis tantum diebus rationes reddendæ sunt, interim res vel pecunias penes se habet, quæ non possunt prima specie a peculio discerni. In sequenti testamento legimus servum loculis præpositum, id est haud dubio pecuniis exercendis, his verbis manumissum fuisse : « *Stichum servum meum liberum esse volo, eique volo dari decem aureos, et quidquid ex ratione loculorum meorum habet : rationes autem heredibus meis dari volo : his omnibus, quos hoc testamento manumisi, peculia sua concedi volo*[4]. » Sed ut ex eodem loco discimus, servus ipse

1. D., XXXIX, 5, 35, pr.
2. D., XXXI, 88, § 3.
3. *Inst.*, II, 20, 20.
4. D., XXXIII, 8, 23, § 1.

domino suo aliquando e peculio aliquid erogabat : « Quæsitum est, an quod amplius rationi loculorum in diem mortis erogavit Stichus ex peculio suo, ab heredibus recipere debeat : cum ex consuetudine domus esset, ut quidquid amplius ex suo in ratione loculorum erogasset, dominica ratio ei deberet, atque exsolveret. » Jurisconsultus respondit id deberi pro rerum temporumque circumstantiis; Severus et Antoninus vero ad eamdem sententiam non accesserunt[1]. Nobis autem parvi refert quid de his statuerint, sed magni momenti est novisse communicationem quamdam fuisse eamque non infrequentem inter patrimonium domini peculiumque servi. Facile enim intelligitur eum qui magnæ negotiationi præpositus est non posse quotidie sua propria ab his quæ negotiationi destinentur, vel ex negotiatione proveniant, separare; ea autem disjunctio manumissionis tempore fieri solet.

Inter eas pecunias quæ penes servum sunt, et peculio ejus si non permixtæ, at saltem implicatæ videntur, reliqua rationum in primis inveniuntur. Servus quidam cum jussus esset, quod raro occurrere nobis visum est, peculium suum reddere, jurisconsultus quærebat « an si ex reliquis in peculium aliquid converterit, deduci hoc ex peculio reddendo debeat[2] ». Testator quidam scripserat : « *Quotquot reliqui liberos, atque eis legata, eos*

1. « Cum peculium servo legatur, non etiam id conceditur, ut petitionem habeat pecuniæ, quam se in rationem domini impendisse dicit. » (D, XXXIII, 8, 6, § 4.)
2. D, XL, 5, 41, § 9.

ipsos inexcussos esse volo », jurisconsultusque quærebat « an reliqua rationum quasi legata retinere possint[1] ».

Ex quibusdam locis apparet etiam servum ex negotiis quæ domino gerit posse aliquid, præter reliqua secum habere. Servus quidam reliqua restituere non cogebatur (fideicommissa enim libertas pure ei data erat), « corpora plane rationum, addit jurisconsultus, et si quas res vel pecunias ex his detinet cogendus est per Prætorem restituere[2] ». Ex sequenti fragmento discimus negotiantis servi conditionem meliorem quodammodo esse quam liberi hominis, nam quæstus pars quædam penes servum aliquando remanebat, nec mirum, si memineris quidquid penes servum inveniatur, durante servitute, jure domini esse, itaque cum jure omnia sua essent, facto plura servi esse patiebatur dominus. Cessante vero servitute ea repetere poterat : « Si manumisero eum servum, qui negotia mea gesserat in servitute, deinde stipulatus ab eo fuero, quod negotia mea gesserit, quidquid ob eam rem, si tunc liber fuisset, eum mihi dare oporteret, id dari; deinde ex stipulatu agam : non summoveri me exceptione (onerandæ libertatis causa), neque enim oneratum se hoc nomine potest queri libertus, si lucrum abruptum ex re patroni non faciat[3]. »

Ex his omnibus apparet eum servum qui alicui negotiationi adhibebatur peculium habuisse et cum peculia-

1. D., XXXIII, 8, 23, §§ 2 et 3.
2. D., XL, 5, 37.
3. D., XLIV, 5, 1, § 4.

ribus rebus, negotiationis aut instrumenta, aut reliqua, aut aliquid lucri sæpe permixtum fuisse, et, ut ita dicam, ei servo unam arcam tum dominicis, tum peculiaribus pecuniis fuisse.

Ea vero peculiaris dominicæque pecuniæ permixtio, rationum reddendarum tempore benignius severiusve, prout jussit testator, finem accipit : peculium plerumque servi fit et aliquando pars quædam ex negotiatione orta, quæ domino gesta est, cum eo penes servum remanet.

Sed vix intelligeretur, ut jam notavimus, tanta domini largitas. Peculium negotiationi connexum et quasi aptum dicimus fuisse, ideoque satis grande. Peculio donatus libertus eidem negotiationi curam dabit et inde reditus fructusque capiet quorum ipse dominus atque pars quædam dominici patrimonii fons primus fuerat. Ut eadem similitudine utamur qua jam usi sumus : dominus in eam societatem sortem, id est pecuniam, præstitit, servus autem operam; durante servitute, dominus et sortis et operæ reditus fructusque capit, eo excepto quod servus detinere potest, ut retulimus. Non ea tamen est veri nominis societas : a servi enim parte claudicat, cum lucri non sit particeps, sed notandum est eum bona gestione libertatem acquirere; manumisso servo, peculioque ei dato, nunc a domini parte claudicat societas, omnes enim reditus fructusve liberti sunt, cum negotiationis sors pars est ex domini patrimonio abscissa.

Nunc vero quibus viis æqua nimis liberto illa conditio

compensaretur quæ moribus, utilitate ipsa introducta erat, imagoque verior societatis restitueretur nobis inspiciendum est.

In primis legimus certam pecuniam a servo qui manumittendus est, domino vel heredi sæpe solvendam fuisse : « *Stichus servus meus, jubeo, ut det, præstet filiæ et uxori meæ, heredibus meis, sine ulla controversia tot aureos; et ut ipsum manumittant, fidei eorum committo* [1]. » Quæ solutio, antequam servus liberetur, fieri debet, et, non secus atque rationum reddendarum conditio, libertati obstat, donec eam perfecerit servus. Attamen facto receptum erat servum in plerisque casibus, dum satis daret, posse ad libertatem sine mora pervenire, rescripsitque Marcus Aurelius : « *Neque hamanum fuerit ob rei pecuniariæ quæstionem, libertati moram fieri* [2]. »

Sed nunc probandum est, quod ad nostrum propositum magis attinet, eam pecuniam non pretium libertatis fuisse, sed compensationem quamdam pro concessione grandis peculii quo negotiationes sæpe ingentes continerentur. Cum peculium a servo paulatim et quasi collectis singulis assibus comparatur emendæ libertatis causa, statim ut libertatis pretio compar est, libertate permutatur; sic, nascente libertate, simul perit peculium. Longe alia est conditio eorum servorum de quibus loquimur. Peculium, ut jam diximus, non ab eis comparatur, sed a dominis eorum constituitur, neque ad

1. D., XL, 5, 41, § 14.
2. D., XL, 5, 37.

emendam libertatem destinatur, sed ad negotiationes exercendas, ideoque non cum pretio libertatis, sed cum magnitudine negotiationis aliquam habet paritatem. Ipsa libertas non nummis acquiritur, sed sollertiæ fidelitatisque pretium videtur; nam ei servi dicuntur plerumque *gratis manumissi*. Ex scriptis etiam apparet pecuniam a servo solvendam non libertatis sed peculii concessioni connexam esse. Ex Ulpiani fragmento quodam discimus eo ipso quod certa pecunia a servo sit danda, peculium ideo legatum videri, nobis notandum est id in specie servi alicui negotio præpositi decretum fuisse : « Interdum, et si non sit legatum peculium, velut legatum sic accipitur, id est in hujusmodi specie : quidam servo libertatem, *si rationes reddidisset*, dederat; *et si heredibus centum intulisset*. Imperator igitur noster cum patre rescripsit, peculium quidem non nisi legatum deberi, verum (inquit) si conditionibus præscriptis paruit servus, testatorem voluisse eum retinere peculium interpretamur, videlicet ex eo, quod ex peculio eum jusserat centum inferre[1]. — Cum heres jussus est *peculium dare*, *accepta certa summa*, non videtur penes heredem esse peculium[2]. »

Ex aliis locis intelligitur eam pecuniam ex peculio dandam esse, aut « minus esse in peculio legato » et quasi deductionem ex peculiaribus rebus nobis habendam : « Quæritur si servo libertas data sit, *si decem dedisset*

1. D., XXXIII, 8, 8, § 7
2. D., XV, 1, 35.

heredi, peculiumque ei legatum sit, an decem, quæ dedisset heredi, debeant de peculio decedere? Et est verum, quod Sabino placuit, hoc minus esse in peculio legato[1]. »

At si ex peculio hæc pecunia non proveniebat, unde proveniret, dicet aliquis? — Sane verum est, si juris regulas stricte interpretamur, nihil esse servi, cum ne peculium quidem illius sit, sed ex sequenti fragmento, quod notatione dignissimum est, intelligitur re et facto largiorem quamdam interpretationem prævaluisse, servumque qui operatur aut negotiationem exercet posse proprium quodam modo lucrum consequi, idque in peculium quasi in proprium patrimonium conferre : « Si quis[2] servum jussum *decem dare et liberum esse*, operari prohibeat ; vel si, quod ex operis suis meret, abstulerit ei heres, vel si quod ex mercedibus suis coegit... an ad libertatem perveniat?... Quod si prohibeatur operari, non fore liberum : quia operari domino debet. Plane si ei ablata fuerit pecunia ex operis collecta, liberum fore arbitror : quia de peculio dare prohibetur[3]. »

Sic, ut eadem similitudine qua jam usi sumus, etiam utamur, cum libertus, qui peculium penes se servat, certam pecuniam solvit, id quasi prior quædam partitio, non tamen dissolutio, hujus societatis haben-

1. D., XXXIII, 8, 8, § 3.
2. Memorandum est, quo fragmentum illud facilius intelligatur, cum dominus obstat quominus conditionem libertatis servus adimpleat, hoc idem esse ac si servus edictæ conditioni paruerit.
3. D., XL, 7, 3, § 8.

dum est, quæ tacite inter servum dominumque fuerat.

Quod melius apparet ex hac altera ratione qua servus non certam pecuniam semel, sed certis diebus iterum atque iterum solvere debet. Quæ ratio frequentior videtur, fideliorque imago est societatis, quam gerit servus vel, si jam satisdederit, libertus, et ex qua dominus, qui negotii sortem præstitit, usuras capit : « *Stichus servus meus heredi meo mille nummos anno, biennio, triennio, postquam ego mortuus ero, si solverit, satisve fecerit, liber esto.* » Additque juriconsultus : « Non potest is servus, nisi triennio præterito, liber esse, nisi præsentem eam pecuniam solvat, aut satisfaciat : compensanda etenim est heredi libertatis celeritas præmaturæ pecuniarum solutioni [1]. » — « Stichus, *annua, bima, trima die denos aureos heredi si dederit*, liber esse jussus est [2]. » Patronus quidam « Pamphilo liberto, quem heredem ex parte instituerat, Stichum servum prælegaverat et ei libertatem his verbis dederat : *Ita ut, si tibi ex die mortis meæ per annos continuos quinque, menstruos sexagenos dederit, tunc eum manumittas* [3]. » Quod servus præstare debet non necessario in pecunia consistit, sed in qualibet re, pro domini utilitate et genere negotii quod gerit servus : « Servum a filio post quinque annos, *si eo tempore mercedem diurnam filio præstitisset*, manumitti voluit [4]. » Multis igitur modis hæc ratio intervenire

1. D., XL, 4, 41, § 1.
2. D., XL, 7, 3, §§ 13 et 14.
3. D., XL, 7, 40, § 2.
4. D., XL, 5, 23, § 4.

poterat, sed semper eamdem naturam retinebat præstationis certis diebus solvendæ, ex quo manifestius apparet servum in lucrativa quadam negotiatione adhiberi solere.

Sed societatis proprium est ut non certis usuris locum det, sed variis mercedibus pro incerto lucro. Quæ quidem non possunt ante diem constitui, sed negotiationis eventum fortunamque sequuntur. Quod jussit dominus servum solvere aut majus aut minus esse potest quam negotii ratio sinit. Adde quod non per multos annos eam potest imponere præstationem, cum libertati moram faciat, per multos annos contra liberto licebit eamdem negotiationem, sub patroni auspiciis inchoatam, illius nummis instructam, atque adjuvantibus illius commerciis forte auctam, persequi. Quod ita meret libertus, liberti est; nam ex operibus suis id colligit, non tamen omnino, cum is, qui dominus fuit, sortem primum concesserit, quam servus peculii prius, postea patrimonii nomine haberet.

CAPUT III

Quænam a negotiante liberto exigere posset patronus.

Societas inter dominum servumque, durante servitute, inchoata, cessante servitute, non solvitur, sed permanet. Fierine poterat ut ex duobus sociis, alter, id est dominus, lucri non jam particeps esset? — Romani non ii erant qui futuro lucro renuntiarent. Itaque, ut hujus societatis vices historiamque totam noscamus, nobis inquirendum est, quibus modis viisque post servitutem inter libertum patronumque maneret; non enim domini morte qui manumittit societas terminatur, sed tantum liberti morte qui servus fuerat. Usque eo nobis persequendum est quo, rei eventu cognito, rem ipsam totam sanius pendere possimus. Quod, dum faciemus, non a proposito nostro discedemus; sed magis ac magis ad illud tendemus; cum de liberto loquimur, non jam de servo, non alium hominem spectamus, sed eumdem, idem negotium exercentem; etenim cum manumittitur servus conditionem non artificium officiumve

mutat; id artificium officiumve, cum in negotiatione consistit, ad nostrum propositum pertinere non desinit. « *Qui negotiationem par Pamphilum et Diphilum, prius servos, postea libertos exercebat* [1].... — *Lucius Titius, cum Erotem actorem haberet... vivus Erotem manumisit, in eodem actu habuit* [2].... — *Si dominus, qui servum institorem apud mensam pecuniis accipiendis habuit, post libertatem quoque datam idem per libertum negotium exercuit....* [3] »

Inde apparet liberti conditionem non posse intelligi nisi prius servi conditio nota fuerit; si quæ de servo retulimus minus notæ sint, frustra quæratur unde proveniant tantæ opes libertorum. Largitas dominorum, munera etiam amplissima vel dignitates quibus fungebantur liberti non ea sunt ut ex eis illud quod tam frequens atque usitatum erat explicare liceat. Earum autem divitiarum et magnitudo et frequentia apud libertos facilius intelligitur si negotiationes reputamus in quibus adhibebantur servi qui ad libertatem fere omnes venturi erant, peculiumque non parvum accepturi, ad idem negotium sæpe exercendum.

Ex diverso, ut sane intelligatur ejus servi conditio qui negotiationem exercet, ejusdem conditio cum manumittitur et postquam manumissus est spectanda est. Ad libertatem, ut diximus, plerumque destinatur, illiusque ea in agendo tum celeritas, tum fidelitas, non nisi sperata libertate explicari potest; sed ipsa libertas,

1. D., XXVI, 7, 58, pr.
2. D., XXXIV, 3, 12.
3. D., XIV, 3, 19, § 1.

peculiumque datum non nisi quadam compensatione a domino sperata intelligi potest. Quæ compensatio, inchoata aliquando nec perfecta eo tempore quo servus peculium accipit ea lege ut pecuniam semel vel iterum solvat, quibus viis modisque post manumissionem fieri perficique posset, nobis nunc, ex libertorum conditione breviter exposita, quærendum est.

Libertus, sive in negotio vel in negotiatione, dum servus erat adhibebatur, sive non, patrono « operas » debet. In animum statim venit earum operarum nomine potuisse patronum id exigere quod ad perficiendam compensationem quæsitam necessarium esset.

Sed ipsa operarum natura, ut jure et moribus definita erat, tempore quo servi non in tot tantisque negotiationibus adhiberi solebant, iis repugnabat rationibus quibus patronus partem in liberti lucro, ex negotiatione excerpto, sibi providere posset; jurisque consulti mira intelligentia adversus patronorum postulationes restiterunt ne libertorum libertas nimis oneraretur, negotiationumque, quas exercebat libertus, progressus impediretur.

Operæ aut *officiales* aut *fabriles* dicebantur. Officiales operæ, ut fert nomen, officiis honoribusque patrono debitis continentur, et ad propositum nostrum nullo modo pertinent.

Fabriles vero operæ, ut ex scriptis apparet, plerumque in aliquo ministerio consistunt quod is reddere potest qui liberali artificio functus est. Quem, dum servus erat, dominus medicum, pictorem, librarium, scriptorem, nomenclatorem habebat, ejusque intelligentiæ soller-

tiæque gratia manumisit, idoneo ejusdem ministerio fraudari noluit. Cum manumissus est, artificium sibi exercere potest, eo tempore quo non requirit patronus. Sed si ægrotat patronus, ei curam dabit; si domum emit vel ædificavit, hanc picturis ornare debet; si amicos recipit, versus recitare; si candidatus exit, eum pone sequi et venientium dicere vultus et nomina, ut patronus possit, dum occurrentium manus prensat, nominatim eos salutare. Facile intelligitur tales operas non a quolibet reddi posse et eos qui talis artis vel artificii periti erant non facile ad libertatem perventuros fuisse, nisi dominus, cum eos manumiserat, eorum ingenii ministerium sibi servare potuisset.

Fabriles operæ iis etiam qui manuali artificio funguntur imponi possunt, sed in hoc continentur ut patroni domui eas res suppeditent quæ fabricantur, ut si vestiarius fuerit servus, postea libertus, vestibus quibus patrono vel « suis » opus esse potest, providebit. Satis intelligitur hanc operarum præstationem, priscis temporibus usitatam, quibus domesticæ res domi conficiebantur, cum unaquæque domus sibi ipsa provideret, posterioribus temporibus minus convenientem factam esse, imo ne possibilem quidem, quod ad eos servos attinet qui in ingentibus negotiationibus adhibebantur. Quid enim? Cum dominus manumisit servum in ingente vestiaria negotiatione adhibitum, eumque peculio donavit quod tantæ negotiationi non impar esset, ei qui totam forte Urbem provinciamque vestit, nihil amplius, operarum nomine, quam patronus ves-

tiendus erit! Si autem patrono pro magnitudine lucri vestimenta præstet, quid patrono tot vestes proderunt, etiam si rapide eas terit, nisi et ipse vestiarius fiat.

Nummis igitur tantummodo, non rebus patronus lucri quod ex negotiatione liberti provenit particeps fieri potest.

Operæ definitæ erant tempore quo pecunia, quanquam non ignota erat, non tamem tam frequenti usu recipiebatur. Rerum permutatio sæpius interveniebat quam emptio et venditio, res pro re sæpius quam pecunia pro re aut res pro pecunia præstabatur. Privata quæque domus ut parva officina erat in qua variis vitæ necessitatibus varii providebant servi, qui, cum manumittebantur, non jam domino, sed patrono, qui idem erat, operabantur.

Postquam opes divitiæque increverant, rerum permutatio magis ac magis emptioni et venditioni locum dedit, negotiari licuit, servique, ut diximus, in negotiationibus adhibiti fuerunt. Romani imperii temporibus, eæ negotiationes cum ipsius imperii spatio, in quo eas facilius exercere licebat, creverant. Ex omnibus regionibus pecuniæ Romam confluebant et ex his negotiationibus aliud oriebatur negotiationis genus, quæ in argentaria continebatur. In hac quoque frequenter adhiberi servos notavimus. Ab his servis quid exigi posset, nisi pecunia?

Ita definitæ erant operæ : « *Tales patrono operæ dantur, quales ex ætate, dignitate, valetudine, necessitate, proposito, ceterisque ejus generis, in utraque persona æstimari debent* [1]. — *Operarum editionem pendere ex existimatione*

1. D., XXXVIII, 1, 16, § 1.

edentis : nam dignitati, facultatibus, consuetudini, artificio ejus convenientes edendas[1]. »

Ex his locis forte crederes operarum præstationem in pecuniis dandis contineri posse, cum pecuniam pro quacumque re dari licere existimares. Romani jurisconsulti longe aliter senserunt, quamvis invitis patronis. Ex eo argumentum sumpserunt quod operæ non nisi intuitu quodam personæ, vel patroni, vel liberti, intelligerentur. Quod ad officiales operas attinet, res ex se patet, causaque ab utriusque parte, cum patroni tum liberti, facile invenitur. Quod ad fabriles operas spectat, ex hoc intelligitur quod, a parte liberti, in temporis editione quo operari patrono debebat, potius quam in operis perfecti præstatione operæ continebantur; a parte vero patroni quod ejus suorumque usu, vel ad summum amici ab ipso designati[2], operæ quæcumque sunt, definiuntur. Non nisi quadam difficultate receptum erat patrono licere liberti operas, quibus ipsi non opus esset, locare et inde mercedem capere[3]. Regula autem juris hæc erat : « *Nec patronis pro operis mercedem accipere licet*[4]. » Et ita a juriconsultis explicabatur : « *Non prohibentur lege Ælia Sentia patroni a libertis mercedes capere : sed obligare eos. Itaque si sponte sua libertus mercedem patrono præstiterit, nullum hujus legis præmium consequetur. Is, qui operas, aut in singulas eas certam summam promisit,*

1. D., XXXVIII, 1, 50, pr.
2. D., XXXVIII, 1, 9 et 23 pr.
3. D., XXXVIII, 1, 25.
4. C., VI, 3, 7, pr. (VI, 3, 6, pr.) Cf. etiam C., VI, 3, 1.

ad hanc legem non pertinet : quoniam operas præstando potest liberari. Idem Octavenus probat; et adjicit : Obligare sibi libertum, ut mercedem operarum capiat, is intelligitur, qui hoc solum agit, ut utique mercedem capiat, etiam si sub titulo operarum eam stipulatus fuerit[1]. »

Pecunia quidem non intuitu personæ, vel dantis vel accipientis, æstimari potest; omnibus enim conveniens est, et ad omnia cum prodesse queat, ad nullam rem singulariter referri potest, ideo non prænotatæ operarum definitioni respondet. Jurisconsulti hac antiqua definitione freti obstiterunt quominus patroni operarum nomine ex libertis pecunias directe caperent.

Ex eadem definitione aliud sequebatur quod, certis casibus, obstabat quominus operæ omnino peterentur : « *Rescriptum est a divo Hadriano, et deinceps, cessare operarum persecutionem adversus eum, qui ex causa fideicommissi ad libertatem perductus est*[2]. »

Diximus autem servos in negotiationibus adhibitos sæpissime per fideicommissum manumitti. Quod fieri solebat quia dominus usque ad mortem eorum ministerio uti cupiebat, et quia sub conditione rationum reddendarum manumitti solebant. Oportebat igitur ad has rationes accipiendas eum eligi qui huic muneri idoneus esset, sive heres erat, sive alius peritior. Sæpissime etiam dilata erat libertas donec junior filius ad firmiorem ætatem perveniret, ut jam notavimus.

1. D., XL, 9, 32, §§ 1 et 2.
2. D., XXXVIII, 1, 7, § 4.

Fieri etiam poterat ut ea mens domini esset negotium quod gerebat servus, non domini morte statim perturbari, cum existimaret tractu quodam temporis id tantummodo ad eventum perventurum, aut magis lucrosum fore.

His omnibus ex causis et forte ex quibusdam aliis idem sequebatur ut libertatem per fideicommissum servis qui negotiationes exercebant plerumque dari soleret; nec notatione indignum videtur, Imperio Romano ineunte, fideicommissa ita excrevisse ut novus institueretur prætor qui *fideicommissarius* dicebatur, eo ipso tempore quo, negotiationibus crescentibus, numerus servorum, qui, cum in eis adhibiti essent, per fideicommissum sæpius manumittebantur, simul creverat.

Igitur sive operarum naturam spectamus, sive vias quibus tantummodo imponi poterant, minus convenire videntur cum conditione eorum qui negotiationes exercebant, eorumque qui illos adhibebant, sive domini erant, sive patroni; itaque ad nostrum propositum parum attinent.

Attamen legimus haud semel patronos libertis id operarum nomine imposuisse ut peregre proficiscerentur, negotiationis causa, ut in sequentibus refertur : « *Cum quidam libertum suum in Asiam misisset ad purpuras emendas*[1].... — *Si tamen libertus artificium exerceat, ejus quoque operas patrono præstare debebit, et si post manu-*

1. D., XXXIV, 2. 4.

missionem id didicerit : quod si artificium exercere desierit, tales operas edere debebit, quæ non contra dignitatem ejus fuerint : veluti ut cum patrono moretur, peregre proficiscatur, negotium ejus exerceat[1]. »

Ex aliis fragmentis notatione dignissimis, si ad œconomicam spectas historiam, discimus patronos eam libertis legem imponere conatos esse ne in eodem loco negotiarentur. Nec mirum, si memineris libertum sæpe quam servus exercuerat negotiationem eamdem exercere. Patronus enim metuere proterat ne ex vicinitate negotiantis liberti damnum sibi emergeret, aut potius lucrum cessaret, cum ipse aut per se aut per alios servos eamdem negotiationem exerceret : « *Liberti homines negotiatione licita prohiberi a patronis non debent*[2]. — *Quæro, an libertus prohiberi potest a patrono, in eadem colonia, in qua ipse negotiatur, idem genus negotii exercere? Scævola respondit, non posse prohiberi*[3]. — *Libertus negotiatoris vestiarii an eamdem negotiationem in eadem civitate et eodem loco, invito patrono, exercere possit? Respondit, nihil proponi, cur non possit*[4]. »

Sequitur illam quam nunc dicimus *œconomicæ competitionis* quæstionem jam antiquam esse, miraque jurisconsultorum intelligentia ita solutam esse ut libertati maxime faverent. Attamen notandum est eumdem Scævolam in ultimo relato loco addidisse : « *Si nullam læsionem ex hoc sentiet patronus.* » Quid his verbis significari

1. D., XXXVIII, 1, 38, § 1.
2. D., XXXVII, 14, 2. Cf. etiam D., XXXVII, 15, 11.
3. D., XXXVII, 14, 18.
4. D., XXXVIII, 1, 45.

posset, nisi illa ex œconomica competitione proveniens læsio? quanquam fingere liceat læsionem ex aliis causis orientem, veluti si strepitu vel quolibet impedimento, patrono sit incommodo, quod ex verbis « *eodem loco* » forte colligas.

Uno denique casu in *Hadriani sententiis* relato [1], si sane illum interpretamur, id quod in hoc capite exposuimus confirmatur. Liberti de quibus hic agitur nobis videntur fuisse servi negotiantes, quos, manumissionis tempore, dominus donavit tabernis in quibus negotiabantur et peculio de quo negotiabantur, ut eodem loco idem negotium exerceant. Quorum libertorum dominus, nunc patronus, annuam pecuniam exegit, veluti reditum sortis quam præstiterat. Deinde, ea pecunia a libertis non soluta, vel alia quacumque causa interveniente, quæ ex libidine patroni forsitan orta sit, eos patronus prohibet negotiari : « Dicente quodam se circumventum esse a suis libertis, et habere suas tabernas, in quibus ipsi negotiantur de suis pecuniis, et nihil ab illis accipere [2] : ergo advocatus libertorum respondit, in multo tempore eos patrono suo unumquemque præstitisse denarium, et adhuc paratos esse præstare, si eis permitteret negotiari : Hadrianus dixit : Curate ergo, ne iterum queratur; sed et ipse sensum communem habeat. »

1. § 8.

2. Hujus prioris partis quæ duplici sensu ambigua videtur, Græcum exemplum referimus : « Λεγοντός τινος ἑαυτὸν ὑπονοθευθῆναι ὑπο ἰδίων ἀπελευθέρων, καὶ ἔχειν ἴδια ἐργαστήρια, ἐν οἷς αὐτοὶ πραγματεύονται ἐκ τῶν αὐτοῦ χρημάτων, καὶ μηδὲν ἀπ 'ἐκείνων λαμβάνειν. » Vide etiam infra p. 86.

CAPUT IV

De societate inter patronum libertumque.

Id quod operarum nomine patroni persequi non poterant, id est pecuniam, aliis viis sibi parare conati sunt. Sed jurisconsulti semper obstiterunt. Non tantum nimiæ cupiditati patronorum hæc postulatio tribuenda est, sed, ut nobis videtur, novo rerum ordini, cum servus, sub domini auspiciis, negotiandi viam ingressus esset, deinde peculio sæpe ingenti donatus ejusdem vel aliarum negotiationum exercendarum facultates haberet.

Jurisconsulti autem intellexerunt ad reipublicæ salutem pertinere libertos non ultra onerari, ne, ad inopiam redacti, periculo fierent; ad ipsarum etiam negotiationum utilitatem interesse forsitan senserint quæstum ex his detractum non statim neque totum ad patronos transire, ut eo liberti ad novas uterentur negotiationes et ipsi sua utilitate stimulati quas gerebant, eas accuratius gererent.

Patroni vero quod directe consequi non poterant, oblique conabantur persequi; quod sub titulo operarum

petere non poterant, id est pecuniam, idem pœnæ nomine postulabant.

« Libertatis causa imposita » in pecunia contineri videntur, nec ideo cum libertatis pretio permiscenda sunt, sed magis accurate discernenda, ut monet Paulus : « *Si servus promittat domino pecuniam, ut manumittatur, cum alias non esset manumissurus dominus, eamque liber factus spondeat;... non onerandæ libertatis causa hæc pecunia promissa est : alioquin iniquum est, dominum et servo carere, et pretio ejus. Totiens ergo onerandæ libertatis causa pecunia videtur promitti, quotiens sua sponte dominus manumisit : et propterea velit libertum pecuniam promittere, ut non exigat eam, sed ut libertus eum timeat, et obtemperet ei* [1]. » Idemque Ulpianus aliis exprimit verbis : « *Onerandæ libertatis causa facta, bellissime ita definiuntur, quæ ita imponuntur, ut, si patronum libertus offenderit, petantur ab eo, semperque sit metu exactionis ei subjectus, propter quem metum quodvis sustineat patrono præcipiente* [2]. » Ex verbis : « *quodvis sustineat,... obtemperet ei* » præsentiendum est obsequii nomine quamlibet rem, quæcumque esset, quantacumque esset, a patrono postulari posse. Obsequium, cum infinitum esset, omnibus patronorum exactionibus causam præbebat, pecuniasque, cum contenderent debito obsequio defuisse libertum, ab eo repetebant. De his exactionibus Prætores curaverunt : « *Hoc edictum Prætor proponit*, refert Ulpianus, *coarc-*

1. D., XLIV, 5, 2, § 2.
2. D., XLIV, 5, 1, § 5.

tandæ persecutionis libertatis causa impositorum : animadvertit enim libertatis causa impositorum præstationem ultra excrevisse, ut premeret atque oneraret libertinas personas[1]. »

Sed Prætor quidam, ut easdem coarctaret exactiones, via usus est ex qua forte nobis colligere licet et naturam et causam ipsarum exactionum : « *Prætor Rutilius edixit, se amplius non daturum patrono, quam operarum et societatis actionem : videlicet, si hoc pepigisset, ut nisi ei obsequium præstaret libertus, in societatem admitteretur patronus*[2]. »

Quænam esset illa societas quæ societatis actioni nomen causamque præbebat, ex scriptis difficillime disceres. Sed ex jam expositis rebus id inferre possumus hanc non aliam esse atque illam societatem non jure quidem sanctam, re et facto vero et œconomica necessitate, quæ legibus valentior esset, exsistentem inter dominum servumque. Quæ, durante servitute, nullo modo ad jus attinet, ces sante vero, certis jam in casibus invocatur, mortuo liberto suo agnoscitur effectu. Quod in sequentibus, ut speramus, confirmabitur.

Quæ societatis actio non potest sane intelligi planeque definiri nisi illa quæ in ejus locum mox successit etiam nota est institutio. Etenim in eodem fragmento id legimus : « *Posteriores Prætores certæ partis bonorum possessionem pollicebantur. Videlicet enim imago societatis induxit ejusdem partis præstationem : ut quod vivus*

1. D., XXXVIII, 1, 2, pr.
2. D., XXXVIII, 2, 1, § 1.

solebat societatis nomine præstare, id post mortem præstaret[1]. » Quæ pars in successione liberti patrono debita, cum societatis imago esset, ipsam societatem jure tollebat excludebatque, ut jam locus non esset societatis actioni quæ etiam « pro socio » dicebatur. « *Labeo ait, libertatis causa societatem inter libertum et patronum factam, ipso jure nihil valere, palam esse*[2]. — *Si libertatis causa societatem libertus cum patrono coïerit, et patronus cum liberto pro socio agat : an hæc exceptio (onerandæ libertatis causa) sit necessaria? Et puto ipso jure tutum esse libertum adversus exactionem patroni*[3]. »

Si vero « libertatis causa imposita » postulabat patronus, partem in successione liberti non jam consequi poterat. « *Is qui onerandæ libertatis causa pecuniam patrono repromiserit, non tenetur : vel patronus, si pecuniam exegerit, bonorum possessionem contra tabulas ejus non potest petere*[4]. — *Sicut, testamento facto, decedente liberto, potestas datur patrono, vel libertatis causa imposita petere, vel partis bonorum possessionem : ita et cum intestato decesserit, earum rerum electio ei manet*[5]. » Ex his fragmentis colligendum est « libertatis causa imposita » in pecunia contineri solere, cum jurisconsulti uno vel altero verbo ad idem significandum utantur.

Sic « libertatis causa impositorum » cum et numerus

1. D., XXXVIII, 2, 1, § 2.
2. D., XXXVIII, 1, 36.
3. D., XLIV, 5, 1, § 7.
4. D., XXXVIII, 1, 32.
5. D., XXXVII, 14, 20.

et magnitudo magis ac magis cresceret, Prætor Rutilius edixit « *se amplius non daturum patrono quam... societatis actionem* », quo edicto, si recte intelligimus, significatur pecuniam libertatis causa impositam dimidiam bonorum liberti partem excedere non posse (*amplius non daturum*). Posteriores vero Prætores eamdem dimidiam partem non jam societatis nomine, vivo liberto, sed successionis causa, post liberti mortem, deberi edixerunt. Ita « libertatis causa imposita » conversa sunt in partem patrono in liberti successione debitam, ut, si « libertatis causa imposita » a patrono postularentur, nulla pars in successione liberti ei deberetur. Addendum est « libertatis causa impositorum » debitam in successione liberti partem magis atque magis locum obtinuisse, ita ut Ulpianus diceret : « *Quæ onerandæ libertatis causa stipulatus sum, a liberto exigere non possum* [1]. »

At, dicet aliquis, in illa debita parte, si ad ejus originem spectamus, nihil est quod ad negotiationes pertineat : pœnæ enim nomine « libertatis causa imposita » postulabantur; pœnæ etiam nomine societas inter patronum libertumque sancta fuit; pœnæ igitur nomine, pars in successione liberti patrono debebatur. — Cujus debitæ partis et historia et natura nobis breviter exponenda est, ut videamus illud nomen pœnæ fictam esse tantummodo causam qua patroni fraudem ei legi facerent qua vetabantur a libertis pecuniam exigere, et tunc noscamus eamdem pecuniam, negotiationis causa, plerumque exigi.

1. D., XLIV, 5, 1, § 5.

CAPUT V

De parte patrono debita in libertorum successione.

Rerum igitur naturali cursu et juridica quadam necessitate deducti, ad liberti mortem venimus, id est ad dissolutionem hujus societatis inter dominum servumque tacite constitutæ, cum alter pecuniam, alter operam præberet; quæ societas, durante servitute, ad jus nihil pertinebat, cessante servitute, jure improbabatur, mortuo denique liberto ita tantummodo valebat ut alii institutioni locum daret quæ ejus imaginem retineret.

Cum hæc societas, dum vigebat, ad jus nullo modo pertineret, nobis licuit ei ut œconomicæ historiæ parti studere; cum, dum extinguitur, juris formam induit, de ea breviter disseremus tantummodo quantum ad propositum nostrum directe attinet, ne in juris disputationibus morari videamur.

Libertorum enim successio inter varias juris partes ea est quæ in difficillimis merito numeretur : « *Jus usque*

ad nostra tempora satis obscurum, atque nube plenum, et undique confusum », ut ipse ait Justinianus [1]. Quæ confusio diversis causis adscribi potest, sed in primis huic quæ ad nostrum propositum directe attinet : negotiantium enim servorum, mox libertorum, eorumque majore in dies peculio donatorum cum cresceret numerus, patroni in libertorum successione ampliorem non immerito postulabant partem; cum eo ipso tempore, moribus faventibus atque simul philosophia, nec non Christianæ religionis tacita jam diffusione, sæpius in libertorum favorem statueretur.

Cum duplici illa contrariaque voluntate distraheretur illa libertorum successionis materia, inter multas mutationes varietatesque versata est, quæ dubitantium hæsitantiumque animorum testimonium referunt.

In primis discernendum est quis manumiserit, quis manumissus sit, homo ab homine, an femina ab homine, an homo a femina, an femina a femina; atque notandum est patronatus jura præsertim aucta fuisse in primo casu, cum homo ab homine manumitteretur, quod cum prædicta hujus auctionis causa satis conveniens invenietur, si meminerimus homines sæpius quam feminas in magnis negotiis negotiationibusque adhiberi solitos esse, et patremfamilias potius quam uxorem curavisse de his servis qui non solum sui patrimonii pars, sed etiam actores essent. Unum hunc igitur casum spectabimus.

1. *Inst.*, III, 6, § 10.

Aucti ita patronorum juris (quæ quidem auctio, ut putamus, cum negotiantium servorum, dein libertorum, incremento connexa erat) ut tempora vicesque noscamus nobis breviter dicendum est quæ antea fuerint patroni jura.

Lege duodecim tabularum, liberto, si testamentum faceret, patronum præterire licebat, id est nihil ei relinquere. Si intestatus decesserit, liberti « *sui heredes* » patronum excludebant. Cum libertus nullos habeat agnatos, « *sui heredes* » intelliguntur liberti liberi, qui quidem post manumissionem nati sunt, aut uxor si in manu est, aut etiam liberi adoptivi.

Antiquum illud jus novavit Prætor non quidem in gratiam liberti, sed in patroni utilitatem. Libertus, si testamentum faciat, non jam suorum bonorum liberam habet dispositionem; dimidia enim pars patrono debetur. Si huic officio defuit libertus, patronus ejusdem dimidiæ partis possessionem obtinebit contra tabulas testamenti. Ne liberti quidem uxor in manu aut liber adoptivus impediunt quin patronus dimidiam bonorum partem consequatur. A solis liberti liberis post manumissionem natis nunc patronus omnino excluditur.

Ultimum illud jus, quod natura et æquitate saltem tutum esse putares, lege Papia Poppæa etiam imminutum est, ea ipsa lege quæ lata erat ut eis faveret quibus liberi essent. Quod non facile intelligeretur nisi ea quæ de libertorum conditione opibusque exposuimus jam nota essent, earumque causa e negotiationum incremento repeteretur. Quod ex ipsa lege apparet. « *Postea*

lege Papia aucta sunt jura patronorum », ait Gaius[1]. Etenim jure Prætorio ab uno filio filiave liberti patronus omnino excludebatur a successione; ex lege Papia Poppæa ut idem fiat, tribus liberis opus est liberto. Si duos tantummodo habeat, patronus tertiam partem consequetur, si unum dimidiam.

Sic legis Papiæ Poppææ strictius jus erat quam Prætoris antea jus fuerat, putamusque Prætoris jus melius incremento prolis favisse, nam libertus, ut civis Romanus fieret (de quo nunc unice loquimur) non ante trigesimum annum manumitti poterat, liberique ejus ante manumissionem nati non numerabantur[2]. Attamen discerni potest quomodo eæ dispositiones, quamvis liberti liberis contrariæ si pauciores quam tres essent, ordini totius legis non omnino repugnarent.

Sed ex uno verbo ipsius legis vera earum dispositionum causa patet : « *aucta sunt jura patronorum*, ait Gaius, *quod ad locupletiores libertos pertinet* », id est ad eos qui sestertiorum centum millium patrimonium relinquebant.

Unde tantæ libertis venerunt divitiæ, cum nullos haberent patres, nisi ab illo qui eos manumisit. Fingere licet casus in quibus libertus quidam alio ex fonte divitias acquisierit, sed si singulares inveniuntur, non jam intelligitur cur de his lex lata fuisset. At, forte dices, libertus ipse sibi divitias acquisivit. — Sane id fieri ali-

1. Gaius, III, 42.
2. Patroni haud semel tentaverant jurejurando adigere libertum : *ne uxorem duceret*, sed id legibus prohibitum est.

quando potest, ut in liberalibus artibus, sed plerumque aliqua jam sorte opus est quo major fiat quæstus; adde quod libertus, cum non ante trigesimum annum manumitteretur, quæstum antea factum non sibi fecit. Confitendum est igitur illas opes ex domino venire.

Quod si concedis, non jam dubitandum est quin negotiationum causa datæ fuerint. Largitatem domini forsitan invocares, nec desunt exempla; sed observandum est si solo animo donandi dedissent domini, non vivo liberto, dein defuncto, quod dederant, pro parte saltem, repetere conarentur, expediebat minus dare. Si autem negotiandi causa, ipsaque negotiationis utilitate, ad dandum magis ac magis in dies prolapsi fuerunt, facile intelligitur, post negotiantis mortem, eos quæsivisse quomodo partem ejus quod dedissent quæstusque ex eo facti repeterent.

Ipsa enim tempora quibus patronorum jura magis atque magis aucta sunt, quæ fuerit illius auctionis causa satis prædicant, cum ea adeo a Prætore aucta fuerint post Punica bella, lege autem Papia Poppæa ineunte Imperio, id est eo tempore quo victoriis divitiæ creverant, eo quo pace favente eas in orbe terrarum facilius exercere licebat.

Si societatis nomine pars debetur patrono in liberti successione, non jam dubitandum est quin ea societas non alia sit quam illa œconomica societas negotiationis causa inter dominum servumque inchoata, eadem quæ a Rutilio Prætore in certis casibus pœnæ

nomine sancta fuit, haud semel autem a jurisconsultis prohibita. Ejusdem in locum successit illa societatis forma quæ in liberti successione tantummodo effectum habebat, sed prioris societatis « imaginem », ut dicunt jurisconsulti, etiam retinebat. Quæ quidem cum in successione cujuslibet liberti, sive gratus fuit sive ingratus, recepta sit, satis constat illam societatem quæ, dum vivebat libertus, pœnæ nomine tantummodo a nonnullis recepta erat, revera non pœnæ causa, sed negotiationis factam fuisse, illudque nomen pœnæ subtilitate quadam inventum esse ut ei legi fraudem facerent quæ obstabat quominus a libertis pecunia exigeretur, nisi pœnæ nomine.

At, dicet aliquis, cur, quam vivo liberto, exigi vetabant pecuniam, eodem mortuo, obtineri sinebant jurisconsulti? — Libertorum utilitati et ita reipublicæ cujus liberti magna pars erant eos consuluisse non immerito crederes; puto equidem eos, cum patronis obsisterent, utilitati negotiationum atque etiam ipsorum patronorum non minus studuisse. Etiam liberti cui liberi sunt pars successionis patrono debetur, non libertorum gratia igitur, neque eorum liberorum, neque reipublicæ usque ad liberti mortem patroni jura differebantur, sed magis negotiationis gratia, ne temporis impatiens patronus statim et quasi minutatim factum ex negotiatione quæstum eriperet liberto, atque ita impediret quominus ipso quæstu uteretur ut amplius lucrum consequeretur, neque semper ita liberto immineret ut negotiationi immisceretur, secundaque ejus abuteretur fortuna, adversa

vero non læderetur[1]. Cum liberto simul exspirat illa societas quæ ejus ingenio vigebat, patronusque totius negotiationis vices uno tempore experitur, secunda cum adversa compensatur fortuna, pignusque bonæ liberti gestionis optimum habet, ipsam liberti utilitatem.

Sed fieri potest ut libertus conetur debitam patrono partem aliis viis minuere, veluti donationibus aut aliis quibuslibet rationibus quæ in fraudem patroni quærantur, vel etiam legis ut se minorem centenario faciat[2], et ita strictius jus legis Papiæ Poppææ, quæ ad locupletiores tantummodo libertos pertinebat, fugiat. Adversus ea quæ a liberto in fraudem patroni fieri poterant actione Faviana aut Calvisiana provisum erat. Quæ autem in fraudem legis fiebant, ipso jure nihil valebant[3].

Erat autem alia eorum libertorum conditio qui *Latini*[4]

1. Ut noscamus quantum haud semel patroni in libertorum negotiationibus se immiscerent, exemplum sumere licet a contrario ex inscriptione qua patronus quidam suum laudat libertum qui cælator erat : « Patronus lib. bene merenti. Hic in vita sua nulli maledixit, sine voluntate patroni nihil fecit. Multum ponderis auri arg. penes eum semper fuit, concupiit ex eo nihil umquam, hic artem cælatura clodiana evicit omnes. » (C. I. L., VI, 9222.)

2. *Centenarii* dicebantur liberti qui centum millium sestertiorum substantiam habebant.

3. Tales libertorum fraudes haud infrequentes fuisse novimus, in primis ex sequentibus Taciti locis : Vitellius « reversis ab exsilio jura libertorum concessit, quanquam id omni modo servilia ingenia corrumpebant, abditis pecuniis per occultos aut ambitiosos sinus. » (*Hist.*, II, 92.) Similes forte fraudes, Nerone imperante, locum dederunt controversiæ apud senatum et consilium principis quam idem refert Tacitus : « Actum in senatu de fraudibus libertorum, efflagitatumque ut adversus male meritos, revocandæ libertatis jus patronis daretur. » Quod quidem non obtinuerunt. (*Ann.*, XIII, 26.)

4. *Latinus* est manumissus in cujus persona tria hæc non con-

dicebantur, « *qui*, ut significantissime ait Justinianus, *licet ut liberi vitam suam peragebant, attamen ipso ultimo spiritu simul animam atque libertatem amittebant*[1] ». Quæ conditio lege Junia Norbana definita erat. Illam legem nostro proposito omnino alienam immerito putares, quamvis aliis etiam publicisque præsertim causis eam imputare liceat. Itaque de ea illius legis causa quæ ad nostrum propositum interest disseremus.

Priscis quidem temporibus peculium libertatis pignus et causa servo erat; cum, crescentibus negotiationibus, ad alium usum conversum est, libertati impedimento magis quam auxilio fuit. Dominus dominicæ potestatis tuendæ minus quam retinendorum peculiarium nummorum studiosus erat. Servum negotio intentum libenter bene habebat; placebat « *inter amicos* » eum liberum prædicare, dum peculii bona quæstumque servaret. His novi generis libertis succurrit Prætor ne, mutata domini voluntate, in servitutis formam rursus redigerentur, sed ex eorum peculio nihil dominis auferre voluit : « *Admonendi sumus*, ait Gaius, *eos..... auxilio Prætoris in libertatis forma servari solitos : unde etiam res eorum peculii jure ad patronos pertinere solita est*[2]. »

Legis Juniæ latori eadem mens fuit : illam quæ facti magis quam juris erat libertas, legitimam fecit; sed, quod ad peculium attinet, ea veritus quæ ex lege sua consequi

currunt : ut major sit annorum triginta, et ex jure Quiritium domini, et justa ac legitima manumissione liberetur, id est vindicta, aut censu aut testamento.

1. *Inst.*, III, 7, § 4.
2. Gaius, III, 56.

possent, ipse suæ legi contradixit et Gaius quam anceps fuerit satis indicat cum scribit : « *Legis Juniæ lator, cum intellegeret futurum ut ea fictione res Latinorum defunctorum ad patronos pertinere desinerent, quia scilicet neque ut servi decederent, ut possent jure peculii res eorum ad patronos pertinere, neque liberti Latini hominis bona possent manumissionis jure ad patronos pertinere, necessarium existimavit, ne beneficium istis datum in injuriam patronorum converteretur, cavere voluit ut bona eorum proinde ad manumissores pertinerent, ac si lex lata non esset. Itaque jure quodammodo peculii bona Latinorum ad manumissores ea lege pertinent* [1]. »

Ultimis illis ex verbis colligendum est peculii nomine Latinorum bona ad patronum pertinere, quod satis indicat peculium in primis a domino eis concessum fuisse, quæstumque a Latino dein factum non in domini patrimonium statim atque directe transire, sed penes Latinum, dum vivebat, remanere. Duplici illa conjectura sublata, non jam intelligi potest unde veniant Latinorum bona, non parva quidem, cum lege tam accurate cautum esset ne eis privarentur patroni. Non ex dissimili nobis videtur causa in liberti civis Romani bonis partem debitam esse patrono. Quamvis juridica fictio hic non interveniat, libenter dicamus, œconomica veritate freti, eam partem « jure quodammodo peculii » etiam debitam esse.

At, dicet aliquis, quod ad Latinos attinet, non ea sub-

1. Gaius, III, 56.

tilitate opus erat qua caveretur ut peculium penes dominum remaneret. Data libertate, non ideo peculium datur; domino licebat peculium totum, vel ejus partem retinere, servumque, dummodo esset triginta annos natus, in juris civilis forma perfectum libertum facere. — Recte quidem, si peculium cum eo negotio quod gerit servus non tam apte connexum esset; et inde aliud argumentum nobis sumendum est eos servos negotiatos esse. Servus qui in negotiatione adhibetur non sine sorte, id est non sine peculio, eam exercere potest, ut jam notavimus; si, adempto pecunio, manumittitur, quid faciat? Non jam negotiari potest; si autem negatiationi idoneus est (ut ex eo existimare licet, quod dominus eum manumisit), dominum eidem negotiationi alterum præficere necesse erit. Expedit domino servum, postea libertum, in eodem actu habere et ideo eodem peculio munitum permanere.

Sic legis Juniæ Norbanæ et causa simul et illa intelligitur dispositio quæ aliter vix explicari possit.

Quanti momenti esset illa in libertorum bonis debita pars ex eo intelligere possumus quod accuratius cavebatur ne ea carerent patroni [1].

Latino liberto Imperator ipse *jus Quiritium* non nisi

1. Cum Tacitus nobis pingit « flebilem et egentem nobilium turbam, quos ipsos liberosque patriæ Galba reddiderat », addit : « Gratum primoribus civitatis, etiam plebes approbavit, quod reversis ab exsilio jura libertorum concessisset (Vitellius). » (*Hist.*, II, 92.) — Cum Plinus junior rogat ut quibusdam civitas Romana detur, inter civitatis jura commodum illud in primis notat, quod ita « iis in libertos servetur jus patronorum ». (*Epist.*, X, 6.)

« salvo jure patroni » concedere solebat. Etenim, jure Quiritium concesso, libertus civis Romanus fiebat, patronusque non jam omnia mortui liberti bona, peculii nomine, accepisset, sed, si liberto liberi essent, bonorum partem, pro liberorum numero, dimidiam, tertiam aut nullam. Si, « invito vel ignorante patrono », jus Quiritium consecutus est libertus, ille libertus qui civis Romanus est dum vivit « tanquam Latinus moritur [1] ».

Liberto autem civi Romano *jus aureorum annulorum* concessum patrono debitam partem non mutat. Ille libertus dum vivit « ut ingenuus habetur », sed quod ad ejus bona attinet libertus moritur [2].

Natalium quidem *restitutio* majorem habet vim, eaque patronus a liberti successione excluditur, sed « non facile » conceditur, « nisi consentiente patrono [3] ».

Natalium restitutio favor principis erat quo ut ingenuus habebatur is qui servus natus erat. Qui autem, ingenuus cum natus esset, in servitute dein in libertinitate fuerat, se in ingenuitatem vindicare poterat *liberalis causæ* actione. Senatusconsultum factum erat quo cavebatur de bonis eorum qui in hoc judicio vicerant, ut qui post manumissionem originem suam repetierant, secum ferrent « quod in domo cujusque intulissent,... quod post manumissionem quoque adquisiissent, non ex re manumissoris; cetera bona relinquerent illi, ex

1. Gaius, III, 72. — Itaque cum Plinius junior pro libertis jus Quiritium petit, semper, « volentibus » vel « petentibus patronis », hoc petit. (*Epist.*, X, 4 et 6.)
2. D., XL, 10, 5 et 6.
3. D., XL, 11, 2. Cf. etiam 4 et 5 pr.

cujus familia exissent[1] ». His autem verbis *re manumissoris* peculium et instrumentum, pars dominici patrimonii abscissa, quibus negotiabatur servus, quibus cum libertate donatus est, quibus negotiatur libertus intelligenda sunt, quod sequentibus fragmentis confirmatur : « Verbo autem, *relinquerent*, etiam hoc intelligendum est, ut quæcunque ex re ejus, a quo manumissi erant, adquisita habeant, restituant. Sed id quemadmodum accipiendum sit, videndum est : utrumne quæ ignorantibus dominis abstulissent, item quod ex his adquisitum, reddere debeant; an vero etiam concessa et donata a manumissoribus amplexi sint (senatusconsulti auctores)? quod magis est[2]. »

Damnati denique liberti cum bona publicantur, fisco locus non est in partem patroni[3].

Jura in civis Romani liberti bonis ad liberos patroni, si is ante libertum decedebat, pertinebant, saltem ad filios, nepotesque ex filio et pronepotes ex nepote natos — nam pro sexu discrepantiæ erant, veteris vestigia juris ad novam œconomici status conditionem paulatim et sensim accommodati; — ad extraneos autem heredes non pertinebant. Imo ex facultate quadam patrono data quod esset momentum et natura hujus in successione liberti debitæ partis melius intelligere possumus.

1. D., XL, 12, 32.
2. D., XL, 14, 3, § 1. Cf. etiam C., VII, 14, 1. Vide supra, p. 69.
3. D., XLVIII, 20, 7, § 1 et 8 pr. — Lex Salpensæ (§ XXIII) de jure in bonis libertorum expresse curat. (C. I. L., II, 1963.)

Patrono enim licebat libertum *adsignare* cui placebat liberorum [1], id est totam debitam in liberti bonis partem uni suorum liberorum tribuere. Quod senatusconsulto Claudianis temporibus facto, tempore quo servi dein liberti maxime negotiabantur, permissum erat; et qui ea facultate utebatur non aliter agebat atque ille qui nostris etiam temporibus partem in societate (quam vocamus *action*) legat.

Jus quod patronus in Latini liberti bonis peculii nomine servabat ad liberos etiamque ad extraneos heredes pertinebat, similique ratione et causa, cui eorum placebat a patrono cedi poterat [2].

1. D., XXXVIII, 4.

2. Cujus rei exemplum apud Plinium juniorem invenimus cum scribit : « Valerius Paulinus, excepto uno, jus Latinorum suorum mihi reliquit », rogatque Imperatorem ut det eis jus Quiritium. (*Epist.*, X, 105.) — Apud Gaium legimus Latinum legatum fuisse coloniæ. (Gaius, II, 195.)

CONCLUSIO

Has quidem quæstiones ad homines tantum historiæ curiosos pertinere forte crederes, et puto servos, si qui nunc etiam nobiscum in orbe terrarum versantur, non in negotiationibus adhiberi, sed magis in eis manualibus operibus in quibus pristini temporis servi Romæ adhibebantur. Ea tamen non sunt quæ nostrorum temporum cogitationibus penitus aliena habeantur, cum adhuc quæratur quæ sit justa pars in quæstu ex negotiatione facto tribuenda, cum ei qui negotio sortem præstitit, tum ei qui in negotium operam sive manibus sive mente impendit. Romanorum exemplum non imitandum proposuimus, sed cognoscendum existimamus.

Neque enim possibile est, imo nec bonum illam œconomicam societatem ad jus totam referri; apud nos etiam qui negotio operam dat, œconomica ratione ejus qui negotii sortem præstitit est *socius*, juridica autem ratione operam *locat*; illamque facti et juris discordiam

immerito argueris, cum operarius majorem quidem pro majore quæstu partem non obtineat, sed minorem pro minore vel nullo quæstu non patiatur.

Qui operarium quæstus participem omnino faciendum putant, ad damnum non spectant : operarius periculum damni vitavit cum eventum lucri amisit, compromisso quodam et quasi tacito providentiæ contractu tutus.

Non dissimilis est conditio eorum qui pecuniam negotiationi crediderunt quos *obligataires* dicimus, præfixum pro credita pecunia quæstum accipiunt; pejor tamen ea videtur. Non eadem enim securitate qua operarii tuti sunt, cum isti non amplius septem dierum operam perdere possint, illi ipsam quam crediderunt pecuniam totam.

Romæ hæc conditio rarior erat : liber operarius invenitur quidem, sed servi complures fuisse videntur, ille autem quem dicimus *obligataire* difficilius inveniretur. Qui enim partes in publicanorum societatibus habebant, magis vices eorum quos *actionnaires* vocamus sustinebant. Paucæ enim videntur fuisse societates; quod plerique mirantur, nobis causa manifesta est. Multas invenimus novimusque societates cum ex ipsis jurisconsultorum scriptis ostendimus dominum servumque, dein libertum patronumque ad idem negotium pecuniam alterum, alterum industriam conferentem. Illa erat societatis forma negotiationum causa inventa eaque frequens, notandumque est in ea et illum qui pecuniam et illum qui industriam præstabat quæstus quodam modo participes fuisse.

Singularis hæc erat exercendæ pecuniæ ratio, nec

tamen longe dissimilis illius rationis quam proprio nomine *commandite* dicimus. Ut is quem vocamus *commanditaire*, qui pecuniam credebat servo peculii nomine ut ea negotiaretur quæstus particeps fiebat eo modo quo exposuimus, nec damno quidquam amplius quam creditam pecuniam, id est peculium, objiciebat; ille vero qui alicui sui patrimonii parti exercendæ servum præponebat, hujus quem vocamus *associé en nom collectif* vices magis sustinebat, cum totum patrimonium negotiationis periculis objiceret.

Negotiantes etiam servi quæstus plerumque participes erant, diversis quidem rationibus modisque; itaque ejus quam dicimus participationem in quæstu non recens est quæstio. Notandum est tamen illam participationem sine libertate data neque utilem nec perfectam esse; servo quidem qui ingenti peculio præditus est, multa sibi commoda parare licet, sed, si cum libertate componantur, nobis semper parva videntur, cum, sine libertate, ipse non civis tantum, sed ne patris quidem nomine dignus existimaretur.

Libertati quidem favisse videntur et domini, et jurisconsulti, et philosophi, magis etiam ipsa negotiationum utilitas. Cujus datæ libertatis multa legimus exempla, quid vero si cum negotiantium servorum numero conferantur? Omnesne ad libertatem pervenerunt? — Non miserandi quidem ii qui sua culpa, vel infidelitate, ea indigni visi sunt, sed ii, si qui sunt, quibus imperitia, fortuiti casus, subitæ ruinæ, omnia denique negotiationibus inhærentia pericula, culpæ fuerunt.

Notandum est tamen non id moris fuisse Romanis ut omnes servos qui in negotiationibus adhibebantur ita remunerarentur, sed eos solos qui gerendæ rei curam dabant. Aliter enim fieri vetat ipsa negotiationum natura, cum non possibile sit negotiationis rationes omnibus edi, et cum sine ea editione nulla in quæstu participatio vera esse possit, sed tantummodo locus sit muneribus non debitis quidem, sed benevolentia concessis, valde tamen prædicandis. Qui autem rationum jam sunt compotes scientesque, sine periculo quæstus participes fieri possunt. Addendum est eorum industriam quæ in ingenio et mente continetur, et qua tota negotiatio viget, magis stimulandam esse quam operariorum laborem qui corporis vires negotiationi præbent.

Sive institor erat, sive peculio negotians servus, sub eo multi erant alii servi qui vicarii dicebantur quique humilioribus fungebantur officiis, nec non et liberi operarii. Ipsis quidem vicariis peculium esse poterat et in eo nonnunquam alii vicarii; sic quæstus quodam modo participes fieri poterant; sed ipsorum libertas ex libertate primum, deinde ex voluntate ejus in cujus peculio erant pendebat, unde quam incerta esset satis apparet. Adde quod nulla durior est servitus quam ejus qui æquali pareat.

Sic inter ipsos servos in negotiationibus adhibitos multi erant variique gradus, neque ab eis de quibus locuti sumus, qui negotiationibus præerant, omnes judicandi sunt. Imo magis in ipsa servitute multi variique erant gradus, nec a conditione servorum in uno officio

adhibitorum omnes discendæ sunt servorum conditiones. Plerumque apud recentes scriptores de servis sermo est qui durioribus vel humilioribus operibus adstricti erant, aut de his qui liberalibus vel etiam publicis fungebantur officiis; ita severior aut indulgentior fit opinio. Ut ipsa servitus qualis apud antiquos erat, Romani Imperii temporibus, justius judicetur, variæ servorum conditiones noscendæ sunt, conditio igitur eorum qui in negotiis negotiationibusque adhibebantur non est prætereunda.

Quot essent in ea conditione nobis jam non licet cognoscere. Sed plurimi erant si ad numerum respicimus fragmentorum in quibus de eis sermo est; plurimi etiam si ad latitudinem spatii in quo negotiabantur spectamus, aut si magnitudini divitiarum quas exercebant attendimus, aut si multitudinem gentium considerabamus cum quibus junctis commerciis miscebantur.

Quis putaret servum quem libenter vinctum nobis animo fingimus, terræ colendæ adstrictum, vel domestico operi alligatum, cum sine pecunia esset, cum ne persona quidem haberetur, eum fieri potuisse qui orbis terrarum opes gereret, pecunias crederet, divitiarum quasi dominus ipse ageret?

Quas contemnere affectabant domini negotiationes servilesque existimabant, eædem non semel dominis æquaverunt servos.

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. VII Id. Jan. ann. MDCCCCI,
Facultatis Litterarum in Universitate Parisiensi Decanus,
A. CROISET.

Typis mandetur.
Academiæ Parisiensis Rector,
GRÉARD.

INDEX RERUM

PROŒMIUM

Quantopere negotiarentur Romani, quid de negotiationibus sentirent? 1

PARS PRIOR

Quomodo servi in variis negotiis negotiationibusque adhiberi solerent.

CAPUT I

Cur servi in negotiis negotiationibusque potissimum adhiberentur 19

CAPUT II

Quomodo contractibus a negotiante servo factis teneretur dominus 28

PARS ALTERA

Quomodo quæstus participes fierent dominus et servus, dein libertus et patronus.

CAPUT I

De rationibus reddendis 39

CAPUT II

De libertate et peculio donato..... 49

CAPUT III

Quænam a negotiante liberto exigere posset patronus..... 60

CAPUT IV

De societate inter patronum libertumque..... 70

CAPUT V

De parte patrono debita in libertorum successione..... 75

Conclusio..... 89

Columbariis. — Ex typis Pauli BRODARD. — 268-1901.